

DISSERTATIO XVIII.

DE PERTINENTIBUS AD UNITATEM IN CHRISTO QUANTUM AD VOLUNTATEM.

D. Thom. Quæst. 18.

ARTICULUS I.

Utrum in Christo sint duæ voluntates?

Ex variis principiis promanavit error negantium in Christo duas voluntates. (Hic q. 18. a. 1. o.) Quidam dixerunt, Verbum Christo fuisse loco mentis; unde in eo negabant voluntatem humanam, sicut & intellectum; & hic erat error Apollinaris. Huc etiam potest reduci error Manicheorum, asserentium, phantasticam humanitatem a Christo esse assumptam. Alii, statuentes unicam in Christo naturam, sive confusam, sive compositam, unicam etiam statuebant voluntatem; & hic erat error Eutycheris. Alii, asserentes duas personas, & vocantes suppositum humanum cum natura humana hominem Christum propter conjunctionem affectivam ad divinum suppositum, ponebant etiam unam voluntatem in Christo homine; & hic erat error Nestorii. Alii tandem, duas in Christo naturas asserentes in una persona, sed opinantes, quod natura humana in Christo nunquam moveretur proprio motu, sed solum secundum quod mota esset a divinitate, negaverunt in Christo esse duas voluntates, & duas operationes, seu volitiones, sed unicam, scilicet divinitatis; & hic est error Sergii Constantinopolitani, Macarii Antiocheni, Cyri Alexandrini, & aliorum, qui dicti sunt Monothelitæ a sua heresi: de quibus impræsentiarum agimus.

Dico. (Hic q. 18. a. 1. o.) In Christo sunt duæ voluntates, & duæ operationes, seu volitiones, divina & humana. Est de fide contra Monothelitas, decisa i. in Concil. Lateran. sub Martino I. deinde in 6. & 7. Synodo generali, ac tandem in Florentina; quorum verba infra referemus. Prob. ex Scriptura Loc. 22. Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Joann. 5. Non quero voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Et alibi similia. Prob. 1. pars (Hic q. 18. a. 1. o.) ratione, qua usi sunt Patres, & Concilia. Verbum assumpti naturam humanam perfectam, & integram: ad perfectionem autem nature humanæ pertinet voluntas, quæ est naturalis ejus potentia, sicut intellectus: & aliunde per assumptionem nature humanæ nullam diminutionem passus est Filius Dei in his, quæ pertinent ad divinam naturam, cui competit voluntatem habere: ergo. Hinc fluit 2. pars. (Q. 19. cit.) Operationes sequuntur formas, quæ sunt agendi principia: ergo ubi sunt diversa principia, nempe diversæ naturæ, & diversæ voluntates, sunt diversæ operationes. Confirm. utraque pars. Christus fuit obediens, & meruit; atqui neutrum voluntate, aut operatione divina tantum: ergo & humana.

Ad quorum majorem elucidationem, & corroboracionem distinguendum est cum Sophronio in Synodica, & S. Maximo in Scholiis ad Ep. 4. S. Dionysii, triplex genus operationum in Christo. Quædam sunt merè divinæ, ut creatio, conservatio, &c. Quædam sunt merè humanæ, quas Christus exercebat virtute propriæ formæ, ac virtutis, ut comedere, bibere, flere, pati, &c. Aliæ sunt mixtæ, in quibus agit utraque natura, divina, ut causa principalis, humana ut instrumentum, quales sunt resuscitatio Lazari, cæci illuminatio, &c. (Hic) Sed in illis iterum distinguendum est: licet enim mortui suscitatio, cæci illuminatio, ut est a natura divina, ut causa principalis, & ab humana, ut causa instrumentali mota, sunt una tantum operatio; altera tamen, & formalitèr distincta reperitur illic ex ipsa forma, & virtute humanitatis proveniens, puta clamare, tangere, spueri, loqui, velle, imperare, &c. Sicut artificiosa constructio scæmi est eadem operatio artificialis, & securis; scisio tamen secundum se est actio distincta, & propria securi secundum ejus formam.

Solvuntur Objectiones Hereticorum.

Obj. 1. S. Dionysius in Ep. ad Cajum, secundum alios c. 12. de Divin. Nomin. asserit, unam esse in Christo Dei-virilem operationem: ergo. R. Monothelitas hunc locum interpolasse, & Dionysium non dixisse unam, sed novam Dei-virilem operationem. (Hic ad 1.) Potro per novam Dei-virilem, seu Theandricam operationem non unicam operationem simpliciter significat Dionysius, sed duas adæquatè distinctas, sine compo-

sitione, aut confusione, & unam tantum unitate ordinis, & subordinationis, in quantum divina utitur humana, & humane participat virtutem divinæ. Solet etiam aliquando sola actio Christi humana vocari alio sensu Dei-virilis, seu Theandrica, propter nempe valorem, & dignitatem, quam haurit a supposito divino agente ut quod, seu propter communicationem Idiomatum; sed ultra illam, hoc sensu sumptam, datur de Christo altera physice, & entitativè divina, divinæ voluntati correspondens.

Obj. 2. S. Athanasius libr. de salutari adventu Christi dicit: Christum existisse sine voluntatibus carnalibus, & sine humanis cogitationibus, in imagine novitatis; Voluntas enim erat solius divinitatis. R. cum S. Maximo, S. Athanasium loqui de Incarnatione Christi, non verò de ejus vita: ita ut sensus sit, Incarnationem, & Nativitatem Verbi esse opus non commercii carnalis, sed solius Dei voluntatis.

Obj. 3. S. Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Filio dicit: velle ejus totum Deificatum. Et S. Cyril. l. 4. Comment. in Joannem dicit unam cognatam operationem: Ergo. R. SS. Patres ita locutos fuisse propter utriusque operationis artissimam unionem, qua fit, ut, sicut natura assumpta dicitur Verbi propria, ita, & ejus actio dicatur deificata; seu divina, divinæque cognata. Ita S. Maxim. in Ep. ad Nicæandrum.

Obj. 4. Instrumenti, & ejus, quod movet, unica est operatio; atqui humanitas est instrumentum a divinitate motum: ergo. R. D. Maj. (Ibid.) Si intelligatur de operatione, quæ instrumentum a causa principali imprimitur, C. Maj. si intelligatur de actione instrumenti, quæ ex propria forma oritur, N. Sic constructio artificiosa cathedræ est eadem operatio & artificis, & securis, scisio tamen ligni est actio distincta securi propria. Vide annotationem ante Sol. Obj.

Obj. 5. Unus est una voluntas; atqui Christus est unus ergo. R. D. Maj. Unus tam supposito, quam natura: una est voluntas, C. Unius supposito tantum, & natura duplici, N. Et ad hanc sensum D. Min. N. Conseq. Inst. Unius agentis: una est voluntas; atqui Christus est unum agens: ergo. R. D. Maj. Unius agentis ut quo, & ut quod est, &c. C. Unius agentis ut quod, sed duplicis agentis ut quo N. Quia voluntas sequitur ad naturam, seu principium quo, non ad suppositum: & sic D. Min. N. Conseq. Urgebis: Voluntas inferuntur secum volentes: ergo unius volentis una est voluntas. R. N. Ant. Alias sequeretur, quod in Trinitate unicum foret volens, quia est unica voluntas. Ita S. Maxim.

Obj. 6. Voluntas in quolibet supposito est primum movens in suo ordine; atqui unicum fuit in Christo tale primum movens: ergo. Prob. Min. Humanitas movebatur a divinitate: ergo. R. N. Ad Prob. (Hic art. 1. ad 1. & 2.) D. Ant. Humanitas movebatur a divinitate ut instrumentum mortuum, N. ut instrumentum agens per propriam voluntatem, C. sicut ergo licet v. g. voluntas Sanctorum moveatur a Deo, hoc non impedit, quin hæc voluntas in eis dicatur primum movens respectu propriarum actionum, etsi secundum respectu Dei, ita & in Christo.

ARTICULUS II.

Quædam Quæstiuncula circa voluntatem Christi breviter resolvuntur.

Quæritur 1. Utrum fuerit in Christo voluntas sensualitatis? R. (Ibid. art. 2. o.) In Christo fuit sensualitas, seu appetitus sensitivus, qui participativè dicitur rationalis, & voluntas, quatenus natus est rationi obedire. Patet, quia Christus assumpsit humanitatem integram, adeoque naturam animalis, ad quam sequatur appetitus sensitivus, seu sensualitas. Advertendum tamen, nullum in parte sensitiva Christi actum indeliberatum prævenisse ejus rationem; quia in eo nulla fuit carnis rebellio, seu summa totius partis interioris ad superiorem subjecto; & quidem perfectior, quam in Adamo innocente; ut jam dixi.

Quæritur 2. Utrum fuerit in Christo duplex voluntas rationalis. R. (Ibid. art. 3. o.) Si per voluntatem intelligatur potentia, una fuit in Christo voluntas rationalis; duplex, si intelligatur actus, nempe una, quæ est natura, altera, quæ est ratio: quia eadem potentia fertur ad objectum, vel simpliciter & absolute, vel

vel enim ordine ad aliud ut in media cum ordine ad finem, vel ad finem ex ordine mediolorum; utrumque enim continetur sub ratione boni: si priori modo, dicitur voluntas, ut natura; quia non per modum rationis, sed per modum nature movetur, sicut cum refugit, quæ sunt nature nociva, vel prosequitur, quæ sunt nature convenientia; & vocatur Thelysis a Da-masceno. Posteriori modo dicitur voluntas rationis; quia fertur in objectum comparando, & deliberando, & vocatur ab eodem Bulysis.

Quæritur 3. Utrum fuerit in Christo contrarietas voluntatum? R. negativè. (Ibid. art. 6. o.) Est de fide decisum in Concilio gener. 6. act. 4. & prius in Concil. Later. sub Martino I. Can. 15. Ratio est 1. (Ibid.) Quia contrarietas est oppositio in eodem circa idem: unde deficit contrarietas, si unum secundum unam rationem ametur, & secundum alteram rationem rejiciatur. Ideoque quævis voluntas sensualitatis, seu voluntas ut natura refugeret mortem ut nocivam nature, voluntas autem divina, & voluntas rationis appeteret ut bonam generi humano, non est contrarietas. 2. Quia volebat Christus voluntate divina, & rationis, ut voluntas sensualitatis, & nature moveretur secundum inclinationem suam, ita ut tamen illi ejusque motibus perfectè dominaretur; nec moveretur, nisi in quantum voluntas divina, & rationis permitteret.

Quæritur 4. Utrum voluntas Christi semper fuerit conformis voluntati divinæ? R. (Ibid. art. 5. o.) Voluntas rationis saltem absoluta, & efficax semper fuit conformis voluntati divinæ, etiam in volito materiali, non tamen voluntas sensualitatis, & nature. Prima pars (Hic) patet ex illo, quod dixi: Non sicut ego volo, sed sicut tu; quibus verbis explicat voluntatem suam divinæ voluntati conformari ex electione, & deliberatione circa idem volitum, quod secundum voluntatem sensualitatis, & nature refugiebat. Patet etiam ratione; quia id decet summam Christi perfectionem, & sanctitatem. Hinc sequitur (Hic) secunda, & tertia pars. Poterat enim appetitus sensitivus, seu voluntas sensualitatis, sicut & voluntas ut natura est, aliud velle, quam ipse Deus, & voluntas Christi ut rationalis: utraque enim movebatur motu proprio naturali, illa prosequens, quæ sensibus erant commoda, & refugiens, quæ erant incommoda, ista appetens bona nature, & refugiens noxia; ita tamen ut semper essent conformes divinæ voluntati, & voluntati rationis hoc sensu, quod nihil appetebat, aut refugiebat, nisi quod divina voluntas, & voluntas rationis permitteret velle, aut refugere.

Potes, utrum non possint admitti in voluntate Christi, ut ratio est, quidam actus inefficaces, & imperfecti, non conformes divinæ voluntati in volito materiali? R. nullam in hoc videri repugnantiæ. Sic poterat Christus voluntate rationis refugere inefficaciter mortem, non præcise ut nocivam nature, sed etiam secundum quod ex ea sententia erant varia peccata. Sic ex summa charitate volebat salutare omnium: sed & hi actus possunt dici etiam conformes divinæ voluntati, nempe efficaci.

ARTICULUS III.

Utrum in Christo fuerit liberum arbitrium.

Deo: (Ibid. art. 4.) In Christo fuit liberum arbitrium, hoc est, libertas a coactione, & a necessitate; utramque enim importat liberum arbitrium, ut docet S. Doct. q. 6. de malo, & alibi; & nos diximus, dum de Actibus humanis. Est quoad libertatem a necessitate contra Calvinum, Lutherum, & Jansenium l. 6. de Grat. Christ. c. 9. & l. 7. c. 15. & videtur quoad hanc etiam partem de fide decisa in 6. Synodo Act. 4. ubi definitur, fuisse in Christo omnes proprietates nature humanæ, adeoque & libertatem a necessitate. Prob. ex Scriptura. Isai. 7. dicitur de Christo: Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum. Et 53. Oblatus est, quia ipse voluit. Ex S. Aug. Tract. 119. in Joann. Quis ita dormit, quando voluerit, sicut Jesus mortuus est, quando voluit: Quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit: Idem Tract. 37. Item Cyrill. l. 7. in Joann. c. 7. Chrysost. in cap. 53. Isai. Greg. Cyprian. & alii. D. Thom. hic ad 3. Licet voluntas Christi sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum: & ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium confirmatum in bono, sicut ad Beatos.

Prob. ratione: tum ea, quam hic adfert D. Thom. nempe in Christo fuisse voluntatem rationis, quæ est in unum cum ordine ad aliud, quod non est sine electione, quæ est liberi arbitrii; tum quia Christus assumpsit humanitatem perfectam, & integram: non datur autem perfecta, & integra humanitas sine libertate.

Obj. 1. difficilem auctoritatem D. Thom. in 3. d. 18. q. 1. art. 2. ad 5. ubi post adhibitam solutionem prius allatam ex præsententi art. ad 7. subdit: Vel dicendum, quod etiam esset determinatum. Pars Tertia.

minatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, & meriti, quia in illud non coactè sed spontè tendit: & ita est actus sui dominus. Respondent plures, vel S. Doctorem hanc sententiam hic retractasse, vel illic loqui non ex propria sententia, sed aliorum, tum temporis probabili; siquidem priori solutione sæpius usus fuerit, hac autem semel tantum. Missis his solutionibus, R. S. Doctorem velle tantum amorem beatificum in Christo quantumvis necessarium, ut fertur ad Deum, ut in se bonum, & regulatur scientia beata, fuisse tamen liberum, vel ut fertur ad Deum, ut est ratio diligendi creaturas, vel ut regulatur scientia infusa. Nec obstant hæc verba: Quia in illud non coactè, sed spontè tendit. Quia tamen non coactè, sed spontè idem est ac non necessarium, sed liberè. Sæpius enim a S. Thom. & veteribus coactum sumitur pro necessario, & spontaneum pro libero. Siquæ ita sumi, patet ex verbis subjunctis; Et ita est actus sui dominus; quod verum non foret, si intelligat de actu necessario. Eoque verior est hæc explicatio, quod juxta S. Doctorem liberum arbitrium non versetur circa Deum ut ultimum finem. De hoc argumento paulò latius dixi in Tract. de Act. hum. Dissert. de voluntario libero Art. 3. Confer.

Obj. 2. Liberum arbitrium se-habet ad utrumque: atqui voluntas Christi fuit determinata ad bonum, quia non potuit peccare: ergo. R. D. Maj. Liberum arbitrium se-habet ad utrumque contrarietatis, N. contradictionis, C. Et ita fuit Christus: imò etiam fuit liber quoad specificationem, non quidem contrariam, sed diversam, seu disparatam; juxta solutionem D. Thom. ad 3. supra cit.

ARTICULUS IV.

Concordia libertatis Christi cum ejus impeccabilitate.

Quæ articulo præced. diximus, constant inter Catholicos: sed gravior modo, imò gravissima difficultas est, quomodo salvetur libertas Christi in actibus præceptis, aut prohibitis cum ejus impeccabilitate. Vel enim potuit Christus ab actu præcepto abstinere, aut prohibito committere, vel non potuit. Si potuit: ergo potuit peccare. Si non potuit: ergo in eis non fuit liber, adeoque non meruit, maxime in morte subeunda, cujus mandatum habebat a Patre. Utrumque Syrtis. Miram sanè, quod in placita excurrerint Auctores, ut nodum hunc solverent. Unde

§. I. Referuntur varie sententiæ circa præceptum morientis; & impugnantur.

PRIMA SENTENTIA.

Quidam negant, Christo fuisse impositum strictum, & rigorosum morientis præceptum, sed latum, & improprium, proit significat insinuatam Dei voluntatem, qua decreverat ipsum pro salute hominum moriturum: præceptum, inquam, non obligans, sed dirigens, ut sunt regulæ quarundam Religionum, quæ tamen sunt materia obedientiæ. Id aperit docet D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 2. o. ubi dicit: Voluntas Superioris, quocumque modo innovescat, est quoddam tacitum præceptum; & tunc videtur obedientia promptior, quanto expressum præceptum obediendo prævenit, voluntate Superioris intellecta. Et hoc, inquam, genus mandati videtur magis congruere amori Patris in Filium, inducie de ejus virtute, ac dignitati ipsius Filii. Deinde, cum Christus esset absolute impeccabilis, non videtur fuisse capax præcepti propriè dicti, quod ubique includit comminationem culpæ, & poenæ, propriè dictæ.

Impugnatur.

Iuxta regulam generalem ab Aug. traditam & a Theologis communitèr admissam, verba Scripture sunt in proprio sensu accipiendi, quando inde nullum sequitur inconveniens; atqui Scriptura significat, præcepta imposita Christo; & si præceptum in proprio sensu accipiatur, nullum sequitur inconveniens: ergo. Secunda pars Minoris patet infra. Prima pars autem exprimitur illo Joann. 10. Hoc mandatum accepi a Patre. Joann. 14. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Joann. 15. Si præcepta mea servaveritis, sicut ego Patris mei præcepta servavi: ubi eodem modo vocat præcepta sibi a Patre imposita, quo ea, quæ ipse Apostolus imposuit, quæ erant propriè dicta: ergo. Nec obstat: quod dicitur 2. Reg. 16. dicitur: Dominus præcepit ei, Semel, ut malediceret David, ibi intelligatur præceptum latè, & improprie; quia in hoc casu præceptum propriè dictum involveret absurdum, non in nostro.

2. In Christo fuit vera, & stricta obedientia, ex eaque mortuus

tuus est; atqui vera & stricta obedientia habet pro objecto formali verum & strictum superioris præceptum: ergo. Major probat S. Thom. infra q. 47. art. 2. & patet ex Scriptura ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem.* Ad Rom. 5. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obediendum iusti constituentur multi.* Unde Bernard. serm. ad milites Templi c. 33. dicit: *Quod ne perderet obedientiam, perdidit vitam.* Prob. Min. 1. Objectum formale obedientiæ est voluntas Superioris quæ talis, & ut a non Superiore distinguitur; atqui voluntas simpliciter solum dirigens, aut consulens non est Superioris quæ talis, & ut a non Superiore distinguitur; sed sola voluntas obligans, in qua consistit proprium præceptum; æqualis enim, imò & inferior potest æquè velle, & dirigere consilio sicut Superior: ergo 2. Inobediencia, & obedientia dicitur in ordine ad idem conversivè & aversivè; atqui inobediencia dicitur per aversionem a præcepto propriè sumpto: ergo obedientia per conversationem ad præceptum propriè sumptum. Unde in secundo testimonio comparatur obedientia Christi inobediencia Adæ; hæc autem fuit per aversionem a præcepto: ergo illa per conversationem ad verum præceptum. Ad id ergo, quod asserunt Adversarii ex D. Thom. R. S. Doctorem ibidem ex professo probare objectum formale obedientiæ esse strictum præceptum Superioris: nec verba, quæ opponuntur, contraria sunt. Qui enim, voluntate Superioris intellectu, prævenit obediendo expressum ejus mandatum, vel in voluntate Superioris intelligit verum præceptum, licet tacitum tantum; ut enim dicit S. Doctor, voluntas Superioris quocumque modo innotescat (scilicet ut præcipiens) est quoddam tacitum præceptum; ut si Superior graviter coneratur de iis, qui sine causa absunt a Choro, quamvis terminis expressis non præcipiat illis frequentationem Chori, præcipit tamen tacite, & verè. Vel intelligit solum desiderium absque voluntate præcipiendi, & obligandi. Primò modo indubie est promptior, vera, & propriè dicta obedientia, quia ibi est verum præceptum, licet tacitum. Secundo modo est etiam verior, non quidem in actu formali, & strictè obedientiæ, sed in præparatione animi; qui enim absque ullo præcepto voluntati Superioris morem gerit, ostendit voluntatem promptissimam & paratissimam, si illi præcipiat.

Ad id, quod opponunt de regulis quarundam Religionum, quæ, licet non sint præcepta stricta, & obligantia, sunt tamen materia obedientiæ. R. illas regulas, licet non obligent ad culpam, obligare ad poenam. Ea autem parte, qua non obligant, sicut non sunt præcepta, nec leges, sed mera statuta, seu exhortationes & directiones, ita nec sunt materia obedientiæ propriè dictæ.

Si fortè dicas, præceptum moriendi Christum etiam obligasse ad poenam tantum, non ad culpam. Infero 1. Ergo potuit Christus operari actiones poenæ, & reprehensione dignas; quod etiam maxime repugnat ejus perfectioni, & sanctitati. Infero 2. Ergo non est mortuus ex obedientia; siquidem in hæc hypotesi præceptum non caderet supra mortem, sed supra poenam, casu quo non moreretur. Unde quidam hujus sententiæ Patroni apud Platellium volunt, præceptum Christo impositum moriendi nullam omnino importare obligationem sive ad poenam, sive ad culpam, sed merum consilium. At inde sequitur apertè gravissimum absurdum, scilicet nullatenus Christum ex obedientia mortuum esse, contra expressa Scripturæ testimonia; ut enim ex dictis patet, eò magis minuitur obedientia, quò magis attenuatur præceptum; adeoque omnino tollitur, ubi nullum est præceptum. Adde, quòd etiam repugnet summæ Christi perfectioni, & sanctitati, cum consilia Dei Patris æterno decreto innoxia posse omittere, & negligere.

3. Evertendo præceptum hujus sententiæ fundamentum. Ideo negant hujus opinionis assertores, impositum esse Christo proprium, & strictum moriendi præceptum, quia existimant hujusmodi præceptum Christo, qui est impeccabilis, auferre libertatem moriendi; atqui id omnino falsum est: ergo. Prob. Min. Præceptum supponit necessariò actum, ad quem datur, omnino liberum, ita ut, si hinc ejus libertatem destrueret, suam propriam naturam adeoque & seipsum destrueret: ergo. Patet Ant. Tum quia non alia ratione imponitur præceptum, nisi ut subditus liber, qui in utraque partem ferri poterat, continet se, & in partem unam prorumpat, a qua poterat abstinere, ita ut frustrà, & stulte præciperetur habenti necessitatem agendi; sic igni non præcipitur ut comburat, cordi ut moveat, &c. Ergo.

4. Hæc sententia limitat indebitè meritum, & libertatem Christi, quæ tamen e contra extendi debent quantum fieri potest. Prob. Si verum sit, non fuisse positum Christo præceptum proprium & rigorosum moriendi, quia ex illo destrueretur ejus libertas, adeoque & meritum in moriendo: ergo nec liber fuit, nec meruit in observatione omnium præceptorum naturalium, quæ respectu omnium hominum adeoque & Chris-

ti, sunt stricti & rigorosi juris. Id quidam concedunt, sed quam infundatè, & ut videtur, quam injuriosè Christo.

SECUNDA SENTENTIA.

Alii committuntur, præceptum verum, & proprium impositum fuisse Christo de morte subeunda quoad substantiam tantum, non quoad circumstantias illius, puta tempus, locum, motivum, intentionem actus, &c.

Impugnatur.

Contra illam militat argumentum, tertio loco factum contra priorem opinionem. 2. Secundum hunc modum sequitur, Christum nec sibi, nec nobis meruisse ex eò præceptum quòd mortuus sit, sed solum ex eò, quòd mortuus sit tali loco, tali tempore, hoc vel illo affectu, seu motivo, &c. Quia juxta hanc opinionem circa has circumstantias tantum fuit liber, non circa mortem quoad substantiam; præceptum enim secundum eòs auferre libertatem. Quod quàm sit absurdum, patet tum ex communi sensu fidelium, qui tribuunt redemptionem ipsi Christi morti, non ejus circumstantiis, tum ex ipsa Scriptura idem significante. Dicitur enim Isai. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum, &c.* Et ad Philipp. 2. *Factus est obediens usque ad mortem. Propter quod & Deus exaltavit illum, &c.*

Si dicas, non obstante præcepto circa mortem quoad substantiam, remanere tamen libertatem, adeoque & meritum circa illam, quatenus non ex necessitate præcepti, sed ex arbitrio pendebat, ut actu interno ipsam mortem quoad substantiam tali fervore, tali motivo eligeret; libertas autem & meritum maxime pensatur ex actibus internis. Verùm hæc responsio 1. conando salvare libertatem Christi evacuat ejus obedientiam. Si enim circa actus internos sit liber Christus, de eis non habet præceptum juxta adversarios, nec consequens obedientiam. 2. Quis sanæ mentis dicat, eum, qui damnatus est ad mortem, mori liberè, quia ejus arbitrio reliquitur ut hoc vel illo motivo, hoc vel illo fervore præsentitè moriatur? 3. Sequitur, in illa opinione Christum non meruisse per obedientiam, quippe qui non fuit liber circa rem præceptam ut præceptam, quod est objectum obedientiæ, sed solum circa circumstantias non præceptas. Hoc autem consequens est contra communem Ecclesiæ sensum, & expressè contra Apost. ad Rom. 5. dicente: *Sicut enim per inobedientiam unius hominis (scilicet Adami) peccatores constituti sunt multi: ita & per unius (scilicet Christi) obediendum, iusti constituentur multi.* Et ad Philipp. 2. *Factus obediens usque ad mortem. Propter quod & Deus exaltavit illum, &c.*

Si reponas cum Platellio, Christum nihilominus fuisse liberum circa rem præceptam ut præceptam sub præcepto distinctionis, inducente obligationem ad hæc, vel illum actum acceptationis ex variis sub distinctione imperatis, ac proinde verum & liberam obedientiam actum exercuisse, & per illum meruisse. Sic B. Virgo verè obediens legi præcipienti par tartarum, aut duos pullos columbarum; determinatè offerendo par tartarum, quamvis non obligaretur ad id determinatè. Verùm hæc omnia vera sunt, supponendo, præcepto nullam induci necessitatem; secus, si supponas contrarium. Ponamus enim, legem imponere necessitatem absolutam B. Virgini offerendi turtures aut columbas, liberè quidam eligeret turtures, sed non poterit dici liberè obedire legi. Similiter sit homo damnatus mori suspendio vel ferro, & eligat ferrum, equidem dicitur liberè mori ferro, sed non simpliciter liberè mori. Supponit autem hæc sententia, præceptum auferre libertatem Christo; unde in ea verum erit dicere: Christus hanc, vel illum actum possuit liberè, sed tamen obedientiam simpliciter non possuit liberè; liberè hoc vel illo actu acceptavit mortem, non tamen liberè acceptavit mortem simpliciter.

Dices: Præcepta, quæ hominibus imponuntur, attingunt tantum substantiam actus: ergo similiter in Christo. R. N. Consequ. Disparitas est, quòd voluntas hominum non sint ita promptæ ad obediendum: unde, ut suavia sint, quæ ipsis imponuntur; præcepta, & conditioni fragilitatis humanæ accommodata, feruntur tantum in substantiam operum, non in modum, aut varias circumstantias. At verò promptissima erat Christi voluntas ad omnia Patris præcepta implenda: unde, ut perfectissima foret ejus obedientia, majusque meritum ipsi accesseretur, debuit obligari ad actum obedientiæ perfectissimum, ideoque non solum ad substantiam actus, sed etiam ad omnes circumstantias se extendentem. Insuper hæc instantia non salvat priora inconvenientia, scilicet, Christum non meruisse per mortem, & per obedientiam.

TER-

TERTIA SENTENTIA.

Alii existimant, præceptum moriendi fuisse impositum Christo dependenter ab ejus consensu, quo se prius ad illud acceptandum obtulit; aut sub conditione, quòd, quando vellet, posset dispensationem obtinere. Ita novissimè Tournely.

Impugnatur.

Hæc sententia meritum obedientiæ in Christo, vel omnino evacuat, vel saltem valde attenuat. Vix enim ulla est obedientia subditi, cui nihil præcipitur, nisi prius explorata, & expectata ejus voluntate, vel ejus arbitrio ita præceptum relinquatur, ut possit ad libitum dispensationem obtinere. 2. Hæc sententia opus Redemptoris nostræ refundit in voluntatem humanam Christi magis, quàm in voluntatem divinam; quod est inconveniens.

Communibus argumentis similè impugnantur hæc tres Sententiæ.

Nullum habent fundamentum in S. Scripturis. 2. Nuntiant falso supposito, nempe, præceptum destruere libertatem, cum e contra eam necessariò supponat, ut diximus. 3. Inutiles sunt ad conciliandam libertatem Christi cum ejus impeccabilitate circa præcepta naturalia, quæ nec sunt impropria, nec pendunt ab acceptance Christi, nec dispensationem patiuntur. 4. Sublato omni præcepto, remanet mortem Christi cum omnibus suis circumstantiis esse a Deo voluntate absoluta prædefinitam; Christusque sciebat hanc voluntatem, cui non minus repugnabat non conformari, quàm peccare. 5. Nodum non solvunt, sed abrumpunt. Nulla enim est difficultas conciliandi libertatem cum impeccabilitate, si non sit verum præceptum, aut pendeat a voluntate acceptantis. Janenius existimavit, voluntatem Christi fuisse necessitatem ad impletionem præcepti, remansisse tamen sufficienter liberam ad meritum, quia fuit libera a coactione; quæ libertas juxta ipsum sufficit ad merendum; sed hæc sententiam articulo precedenti, & latissimè in Tractat. de Act. human. explosimus. His itaque variis rejectis sententiis, sit

§. II. Vera sententia stabilitur.

Dico 1. Admittendum esse in Christo verum, & rigorosum præceptum moriendi, nedum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias mortis, nec ab ejus voluntate quoad impositionem, aut continuationem dependens. Id innunt omnes Scripturæ, citatæ contra 1. sententiam. Item Luc. 22. *Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit.* Act. 4. *Conveniant... adversus sanctum puerum tuum Jesum... Herodes & Pontius Pilatus... facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreverunt fieri.* Hebr. 10. *Ingressus mundum dicit... Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Ps. 39. *In capite libri scriptum est de me. Ut facerem voluntatem tuam: Deus meus voluit, & legem tuam in medio cordis mei.* Id etiam evincunt perfecta Christi obedientia, & quæ huc usque diximus contra priores sententias.

Dico 2. Stante hoc præcepto, & Christi impeccabilitate, ipsum nihilominus liberè mortuum fuisse. Patet ex his omnibus, quæ diximus; & maxime quia moriendo obedit, & obediendo meruit, ad quod utrumque requiritur libertas, & quidem indifferentem. Hanc libertatis in se concordiam cum præcepto operis ipse Christus expressit Joann. 10. his verbis: *Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me: sed ego pono eam a meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo.*

Sed quò tandem pacto hæc, quæ tot Theologis extra scholam D. Thom. videntur incompossibilia, conciliari possunt? Ut intelligas, sequentia prius attende. Suppono 1. duplicem distinctionem. Libertas quoad exercitium dicitur libertas contradictionis: consistit in hoc, quòd quis potest idem velle, & non velle, amare, & non amare. Libertas quoad specificationem vocatur libertas contrarietatis aut diversitatis; & consistit aut in hoc, quòd quis potest unum velle, vel ejus contrarium v. gr. amare, & odire, bene agere, & peccare; & hæc est libertas quoad specificationem contrariam: vel in hoc, quòd possit unum, vel ejus diversum velle, v. gr. ex multis mediis ad consecutionem finis ordinatis hoc, vel illud velle; & hæc est libertas quoad specificationem disparatam. Suppono 2. solam libertatem exercitii seu contradictionis sufficere ad salvandam essentiam liberi arbitrii; quia per illam homo est sufficienter dominus sui actus, & reperitur perfecta libertas in Deo, & Angelis quoad bonum, in quibus non est libertas contrarietatis ad malum. Unde sup-

pono 3. potentiam, seu libertatem peccandi, quæ est contrarietatis ad libertatem bonè agendi, non requiri ad veram libertatem arbitrii, sed potius naturam, & defectum esse libertatis; seu ut dicit S. Thom. signum libertatis, sicut morbus est signum vitæ. Suppono 4. tò *Non mori* posse sumi negativè pro mora negatione mortis præcisè secundum se, vel privativè pro privatione mortis ut præcepti. Similiter non obedire potest sumi negativè pro mera omissione obedientiæ præcisè, is enim, cui nihil præcipitur, verè non obedit; vel privativè pro omissione obedientiæ ut debite, seu pro inobediencia.

Suppono 5. sive mori, sive non mori, secundum se non habere ex intrinsicè necessariam connexionem cum voluntate Christi, nec cum fine a Christo efficaciter intento. Suppono 6. præceptum esse quid merè extrinsecum voluntati, eamque nullatenus interius immutare; ita ut voluntas, quæ ante præceptum supponitur libera, adveniente præcepto remaneat libera, cum non detur præceptum de necessariis. Suppono 7. Deum præcipiendum mortem Filio similè voluisse, ut illum subiret liberè; quia voluit, ut illum subiret obediendo, & merendo, quæ non stant sine libertate. Suppono 8. communes, & veritatis Thomistarum distinctiones in materia de auxiliis, scilicet, potentia antecedentis, & consequentis, potentia positionis, seu futuritionis, & possibilitatis, sensus divisi, & compositi, necessitatis infallibilitatis, seu consequentis, & consequentis, seu absolutæ. Potentia antecedens, seu possibilitatis respicit objectum secundum se: similiter sensus divisi. Potentia consequens positionis, seu futuritionis respicit objectum ut in re cum suis omnibus circumstantiis; ita & sensus compositus. Necessitas infallibilitatis, seu consequentiæ est, quando uno posito aliud necessariò intertur, etsi sit in se liberum, ut si dicas: Deus prævidit Petrum peccaturum, sequitur necessariò necessitate consequentiæ: ergo Petrus peccabit; licet tamen Petri peccatum non sit necessarium in se. Petrus currit, necessariò sequitur: ergo movetur; non tamen motus est necessarius; & hæc necessitas non nocet libertati. Dicitur iterum alia necessitas antecedens, alia consequens. Necessitas antecedens est, quæ antecedit omnino exercitium nostræ libertatis; & hæc illi nocet. Consequens est, quæ supponit exercitium libertatis nostræ, vel formalitè, vel æquivalentè, id est, in aliquo continente illam eminentè, ut est v. gr. voluntas, seu decretum efficax Dei, in quo, ceu in primo libero, ac radice totius libertatis creatæ, & participatæ, continetur eminentè libertas humana. Unde necessitas orta ex tali voluntate, sicut orta ex ipsa libertate, non ipsi nocet; diciturque Consequens quoad effectum conservandi illam libertatem.

His omnibus suppositis, sic solvimus nodum difficultatis, quæ hoc brevi argumento continetur. Christus impeccabilis, stante præcepto moriendi, non potuit non mori, non potuit non obedire: ergo nec liberè mortuus est, nec liberè obedit. R. D. Ant. Non potuit non mori, & non obedire negativè, N. privativè, C. Undè N. Conseq. Quia ad libertatem moriendi non requiritur, quòd poterit recitare mortem ut præceptam, & non obedire privativè, seu contrariè, id est, inobedire; sed sufficit, quòd poterit recitare mortem secundum se, quod est posse non mori negativè, & posse non obedire negativè; quia, ut diximus, potentia peccandi, sive libertas quoad specificationem non requiritur ad libertatem arbitrii. Quòd autem stante præcepto poterit non mori negativè Christus, certum videtur, cum, ut dictum est, præceptum superveniens, utpotè voluntati extrinsecum, eam non immutat, supponatque e contra necessariò liberam. Idem valet, si sic distinguas: Non potuit non mori, seu non obedire potentia consequente, potentia futuritionis, seu positionis, in sensu composito, C. potentia antecedente, potentia possibilitatis, in sensu diviso, N. Cave tamen, ne similiter dicas, Christum posse peccare, seu inobedire potentia antecedente; & in sensu diviso; tum quia potentia peccandi est de se mala; tum quia importat sensum compositum nempe conjunctionem præcepti cum ejus transgressione; non sic potentia non moriendi præcisè.

Iust. Posse non mori stante præcepto moriendi est posse transgredi præceptum: ergo. R. ut supra: posse non mori privativè, C. negativè, N. vel posse non mori potentia consequente, futuritionis, in sensu composito, est, &c. C. potentia antecedente, possibilitatis, in sensu diviso, est, &c. N.

Repones: Christus non potuit negationem mortis a præcepto dividere; non enim potuit auferre præceptum: ergo non potuit non mori, etiam in sensu diviso. R. D. Ant. Non potuit dividere negationem mortis a præcepto positive, C. præcisivè, N. Sufficiebat autem ad ejus libertatem, ut negationem mortis, secundum se consideratam præcisam a præcepto, posset ponere: alias sequeretur, quòd Angelis liberè mandata Dei non exequerentur.

Replicabis: Actu non mori, stante præcepto, est, actu transgredi & peccare: ergo posse non mori, stante præcepto, est

est posse transgredi, & posse peccare. Patet Cons. Quia, quod facit actus actu, licet potentia possibiliter, ut fert commune axioma: sic, quia actu esse hominem est esse actu animal rationale: sic, quia esse hominem est esse esse animal rationale. R. D. Conseq. ut supra. Ergo posse non mori privative, seu potentia consequente, &c. est, &c. C. posse non mori negativè, seu potentia antecedente, &c. est posse, &c. N. Ad axioma obiectum dico, valere dumtaxat, quando actus, & potentia sibi correspondent: potentia autem antecedens non moriendi, stante præcepto, non est potentia correspondens actui, quo Christus non moriendi transgredere præceptum, sed merè negationi mortis secundum se. Undè, sicut non valet: *Actu non ponere actum præceptum a Deo, est actu falsificare scientiam Dei: ergo posse non ponere actum præceptum a Deo, est posse falsificare scientiam Dei:* ita nec in nostro casu. Ad exemplum, disparitas est, quod esse animal rationale sit essentialiter constitutum hominis; undè nulla potest concipi potentia ad esse hominem, quin sit ad esse simul animal rationale: omisio autem mortis in Christo non est essentialiter privatio, seu transgressio, sed hoc ei accidentaliter advenit ratione præcepti appositæ.

Obj. 2. Christus liberè obediit præcepto: ergo potuit non obedire, adeoque peccare. R. D. Ant. Christus liberè obediit libertate contradictionis, C. libertate contrarietatis, N. Undè D. Conseq. Ergo potuit non obedire negativè, C. privative, seu contrariè, N. Christus itaque liberè obediit, non hoc sensu quod potuerit facere contra obedientiam, seu contra præceptum, sed hoc sensu, quod potuerit non facere, quod aliunde præcipiebatur. Sicut dicitur, hominem posse potentia antecedente resistere gratiæ efficaci, non hoc sensu quod possit impedire directè efficaciam gratiæ, sed hoc sensu quod possit non facere id, ad quod determinatur per gratiam; quia remanet indifferencia iudicii, & Deus vult id, quod sit per gratiam, fieri liberè; ita in nostro casu, non obstante præcepto.

Inst. Membra contradictionis debent esse ejusdem rationis; atqui potest facere rem præceptam ut præceptam, in hoc enim sita est obedientia: ergo potest eam non facere ut præceptam. R. per libertatem contradictionis non intelligi hic contradictionem propriè dictam, sed libertatem quoad exercitium: aliàs libertas contradictionis confunderetur cum libertate contrarietatis, quæ est ad speciem. Huc recurrit ferè omnia argumenta, quæ fiunt contra præmotionem physicam, quasi libertatis eversivam; hæc consule: licet ex dictis, maxime ex suppositionibus factis, facilem habeant solutionem.

Hæc de libertate Christi circa præceptum moris: sed in gravescit difficultas circa præceptum dilectionis Dei, & alia præcepta naturalia Decalogi, maxime negativa. Etenim de præcepto dilectionis non potest dici ut supra, Christum potuisse non amare etiam negativè, siquidem non secus, ac Beati necessitabatur ad amandum etiam quoad exercitium: neque de aliis præceptis, v. gr. non mentiendi, potest dici, quod aliquo sensu potuerit mentiri.

Huic difficultati quidam succumbunt, fatenturque, Christum in horum præceptorum observantia non fuisse liberum, nec idèd meruisse: quorum sententiam ab omnibus rejiciendam esse, dicit Lemos Tom. 2. Panopl. Tract. 5. c. 5. n. 174. Et quidem meritò; juxta eam enim evacuatur magna pars meritum Christi, siquidem pluribus actibus implevit præcepta juris naturalis. Et est contra D. Thom. in 3. d. 18. q. 1. art. 5. ubi ait, quod *Christus meruit omnibus actibus suis.* Sit itaque.

§. III. *Solvuntur Objectiones contra libertatem Christi circa præceptum dilectionis Dei, & alia præcepta naturalia.*

Obj. 1. Amor Dei in Christo erat necessarius etiam quoad exercitium, utpotè consequens clarum, & intuitivam Dei visionem: ergo Christus non fuit liber circa præceptum naturale amandi Deum. Hujus argumenti duplex est apud Theomistas solutio; utraque probabilis. Prima solutio distinguit in Christo duplicem dilectionem, utramque ad Dei bonitatem in se, & ratione sui terminatam; unam regulatam scientia beata, & necessariam, alteram regulatam scientia infusa, & liberam. Cum enim amor sequatur cognitionem; duplicem scientiam duplex amor comitatur. Ita Capreol. Ferrar. Med. Soto, Joannes a S. Thom. Contens. quam etiam reputat probabilem Gonet in Manuali. Undè juxta hanc solutionem distinguenda est probatio Min. sic; amor Dei in Christo regulatus scientia beata erat necessarius, C. regulatus scientia infusa, N.

Inst. 1. Vel illi duo actus amoris distinguuntur specie, vel numero; neutrum dici potest; ergo. Non specie; quia ab eodem habitu charitatis, qui est speciei athonæ, non secus ac fides & spes, procedant, & circa idem omninò obiectum formale versantur; non enim diversa apprehensio dat speciem actui, ut docetur in Physica. Non etiam numero; quia duo

accidentia solo numero distincta non possunt esse simul in eodem subjecto: cum enim sit materialis eorum distinctio, ab ipso subjecto tanquam a materia distinguuntur, & individuuntur. Undè requiretur, quod amor regulatus scientia beata cessaret, ut daret locum amari regulato scientia infusa, quod est impossibile, quia primus amor est necessarius, etiam quoad exercitium. R. hos amores distingui inter se specie non substantiali propter rationes factas, sed modali; quia, sicut libertas actus est modus diversus specie a modo necessitatis, ita actus liber specie modali differt a necessario; & hoc sufficit, ut possint simul esse in eodem subjecto.

Inst. 2. Si amor regulatus scientia infusa specie modali distinguatur ab amore regulato scientia beata, erit a fortiori idem dicendum de amore viatorum regulato per fidem respectivè ad amorem regulatum visione beatifica, subindeque charitas vix non permanebit in Patria, contra illud Apost. 1. Cor. c. 13. *Charitas nunquam excidit.* Ergo. R. illud Apostoli esse intelligendum de charitate habituali, quæ in Patria perdurat, non de actuali. Quod patet tum ex ipsis Angelis, quorum amor actualis vix fuit distinctus ab amore Patriæ, aliàs non fuisset in illis nisi unicum instans pro via, & pro termino, quod communiter rejicitur; tum ratione, quia mutatio actus liberi in necessarium non est denominatio purè extrinseca, sed aliqd intrinsecum ab ipsa potentia vitali effluens: idèd quid de libero mutatur actus in necessarium, debet esse novus voluntatis pariter, nova a principio vitali processio, adeoque novus actus.

Altera solutio distinguit in eodem actu amoris duplicem terminationem, alteram ad divinam bonitatem ut in se consideratam, proat est ratio diligendi Deum, ejusque perfectiones necessarias; alteram ad divinam bonitatem, ut est ratio diligendi creaturas, cum quibus non habet necessariam connexionem: sub prima formalitate, seu terminatione est necessarius, sub secunda est liber. Licet enim actu respectu eisdem obiecti secundum eandem rationem convenire nequeant libertas, & necessitas, nulla tamen videtur repugnancia respectu diversorum obiectorum, vel ejusdem secundum diversas rationes: sic idem amor increatus Dei est necessarius respectu propriæ bonitatis ut in se, & liber respectu creaturarum, seu ejusdem divinæ bonitatis ut est ratio diligendi creaturas. Ita Astrucensis, Nazarius, Alvares, Aravius, quos citat, & sequitur Gonet in Clypeo, item Joannes a S. Thom. hanc ut præcedentem sententiam probabilem sustinent.

Inst. 3. Quod est proprium amori increato propter suam infinitatem, non potest tribui amori Christi creato; atqui, quod idem actus amoris increatus sit necessarius, & liber respectu duplicis terminationis ad diversa, hoc habet ratione suæ infinitatis; ergo. R. N. Min. Habet quidem Deus ratione infinitatis, quod actus identificetur cum voluntate; quod autem terminetur duplici terminatione libera, & necessaria ad diversa, habet, non ratione infinitatis, sed ex hoc quod perfectiones divinæ intrinsecè habeant necessariam connexionem cum Deo, non verò creaturæ, seu bona Deo extrinseca.

Inst. 4. Dilectio, qua Christus meruit, adeoque quæ fuit libera, competeat Christo ut viatori secundum D. Thom. q. 19. art. 3; atqui dilectio regulata per scientiam beatam non competeat Christo ut viatori, sed ut comprehensori: ergo. R. D. Min. Dilectio regulata per scientiam beatam, ut proponenda Deum diligendum necessario, & secundum perfectiones necessarias, non convenit Christo ut viatori, C. Min. regulata per scientiam beatam, proponentem Deum diligendum liberè, & ut est ratio diligendi creaturas, N.

Inst. 5. Non est credibile, Christum nihil meruisse amando Deum ut est in se, & propter se, sed solum amando creaturas, cum meritum charitatis debeat potissimum consistere in præcepto ejus actu, qui est amor Dei in se, & propter se: ergo. R. id nullatenus esse incredibile; cum enim amor Dei in se non esset Christo liber, sed necessarius, ipsi ut comprehensori competeat, cujus non est mereri.

Obj. 2. Saldem instante tempore, quo urgebat præceptum diligendi Deum, non potuit Christus non diligere quoad exercitium: ergo. R. ut supra de præcepto mortis: non potuit Christus non diligere privative, seu contrariè, C. negativè, N. Sed, non potuit potentia consequente, C. antecedente, N. Amor enim, seu non amor secundum se non habet magis necessitatem connexionem cum voluntate ex intrinsecis urgenti præcepto, quam non urgente; utpotè quod sit quid voluntati extrinsecum, ut dictum est: undè necessitas ab illo promanans est necessitas infallibilitatis tantum, & consequentiæ, non consequentis.

Obj. 3. Ex amore necessario finis voluntas necessitatur eligere media ad hujus finis assecutionem necessaria, si jam possideatur; atqui voluntas Christi necessario amat Deum ultimum finem, & aliundè ad hujus unis conservationem necessaria est adimpletio omnium præceptorum: ergo. R. hoc argumentum nimis probabile.

re. Ex eo enim sequitur, omnia Angelorum, & Beatorum opera etiam externa ministeria a Deo imperata non esse libera, sed necessaria, quod nemo concedit. R. a. D. Maj. Ex amore necessario finis voluntas necessitatur eligere media ad hujus finis conservationem necessaria essentialiter, & ex intrinseca ratione sui, C. ut est v. gr. fuga peccati ad conservationem amoris Dei; accidentaliter, & ratione præcepti extrinseci in necessaria, N. Præceptum enim, ut sæpius dictum est nihil immutat circa intrinseca rei præceptæ, nec intra voluntatem: undè remanet eadem indifferencia iudicii de bonitate rei præceptæ, & de medio secundum se: nec sequitur necessitas ex præcepto, nisi infallibilitatis, & consequentiæ. Undè ad Min. sic D. Adimpletio præceptorum formaliter, & reduplicativè sumpta est necessaria, &c. C. specificativè sumpta pro actibus, quibus adimplentur præcepta, Subd. est necessaria ex se essentialiter, N. accidentaliter ratione præcepti extrinseci, C. Nec obstat, si dicas ex voluntate efficaci conservandi vitam hominem hic, & nunc necessario uti hoc cibo, si nullum sit aliud medium. Item ex voluntate efficaci salutis necessitatur quis ad Baptismum; licet neutrum sit medium necessarium ab intrinseco. R. hoc utrumque exemplum magis nocere, quam prodesse adversariis: in utroque enim finis non amatur necessario, sed liberè. Undè ex ejus amore efficaci sequitur tantum necessitas mediolorum hypothetica, & infallibilitatis, seu consequentiæ, non absoluta, & consequens: sicut ex eo quod Petrus liberè curat, non sequitur, quod necessario necessitate absoluta, & consequens movetur, sed necessitate tantum hypothetica, infallibilitatis, & consequentiæ; sicut enim liberè curat, ita liberè movetur. Equidem verum est quod Christus non liberè, sed necessario amet Deum ut ultimum finem, sed idèd sequitur dumtaxat, quod necessario necessitate absoluta amatur media, quæ ex se, & intrinsecis habeant necessariam connexionem cum isto fine; secus, si tantum habeant connexionem ex accidenti, puta ex præcepto extrinseco; hæc enim amantur necessario necessitate dumtaxat infallibilitatis, & consequentiæ. R. 3. majoris explicationis gratia, ad principale argumentum, D. Maj. Ex amore necessario finis necessitatur voluntas eligere media necessaria ad ejus conservationem, media reduplicativè ut talia, C. media specificativè considerata, & secundum absolutam rationem, attentis præciè meritis obiecti, N. Similiter D. Min. Adimpletio præceptorum reduplicativè ut talis est medium necessarium, C. specificativè sumpta, N. Patet ex dictis.

Obj. ultimo. Christus nullam habuit potentiam, aut libertatem ad mentiendum, v. gr. ergo non mentiri non fuit ipsi liberum: ergo observantia hujus præcepti: *Non mentiris*, non fuit ipsi libera. R. Concesso Ant. D. Conseq. Ergo non mentiri non fuit ipsi liberum, si ly *non mentiri* sumatur negativè pro mera cessatione ab actu mentiendi, C. si sumatur pro actu positivo, quo veritatem dicebat, seu quo se huic præcepto subiecit, N. Iste enim actus positivus, cum proponeretur sub indifferencia iudicii ex propriis meritis, & aliundè esset actus obedientiæ, & humilitatis, qui necessario exigit libertatem, non poterat esse necessarius necessitate absoluta. Undè ad ultimum consequens, proportionè servata, D. Ergo observantia hujus præcepti: *Non mentiris*, negativè sumpta pro cessatione ab actu mendacii non fuit ipsi libera, transeat: Sumpta pro actu, quo voluit huic legi se subijcere, seu quo actum positivum mendacii contrarium dicebat, N.

DIGRESSIO HISTORICA

De Monothelismo.

Ad Articulum I. præcedentis Dissertationis.

SECTIO I.

Synopsis Historica Monothelismi.

ERrorem Monothelitarum in negatione duplicis voluntatis, & duplicis operationis in Christo situm esse, specialiter ostendimus Sect. sequenti.

Auctores, & Fautores Monothelismi.

THEODORUS Pharanitanus primus hujus Hæreseos Parens videtur, sed quam Sergius Patriarcha Constantinop. circa ann. 622. Heraclio Imperatori sibi amicitia devincto instillavit; quam ille imprudens Imperator statim publico Edicto comprobavit, vetans duos dici in Christo operationes.

Cyrus Alexandrinus Episcopus in Concilio anno 633. novem edidit Capitula, quorum septimo assererat, *Eundem unum Christum, & Filium operari Deo deicibilia, & humana, una Dei-virili operatione, secundum Dionysium*, Dionysii tex-

tum interpolans, & pro *nova Dei-virili operatione* substituens unam, quam fraudem alii Monothelitæ secuti sunt.

Contra Sergium, Cyrum insurrexit Sophronius Monachus, deinde Hierosolymorum Patriarcha. Encyclicam Epistolam ad Honorium sum. Pontificem, & ad Sergium dedit, qua, duas in Christo operationes astruens, Monothelitas anathematice configebat. Sergius ideo errorum non depositi, sed texti. Datis enim ad Honorium litteris, permissiæ œconomiz viam aperiens, significat opportunum fore, & necessarium, ut neque una, neque duæ in Christo operationes deinceps dicerentur ob emergens ex illarum vocum usu scandalum; cui nimia facilitate annuit Honorius, redditis ad ipsum duabus Epistolis, de quibus infra.

Heraclius, auctore Sergio, ann. 639. aliud promulgavit edictum, quod dicitur *Ecclæsiæ* (extat Secretario 3. Concilii Lateran. quo prohibebat, ne quis unam, aut duas in Christo operationes diceret, cum interim ipse in ea Ecclæsiæ unicam in Christo voluntatem discretè assereret, effugiens se in hoc sequi SS. Patres. Hanc Ecclæsiam confirmavit Sergius, & suscipiendam decrevit in Concilio Constantiopo.

Mortuo Sergio, illi, & in sede, & in errore successit Pyrrhus Monachus, qui Concilio coacto Ecclæsiam etiam probavit: sed mortuo Heraclio, Pyrrhus in suspitionem venit insinuatæ cum Martina Imperatrice mortis in Constantinum Heraclii filium, quo, post 4. Imperii menses, e vivis sublato, facta est conspiratio populi adversus Pyrrhum, qui aufugit Chalcedonem, deinde in Africam ann. 644.

Paulus alter Monothelita, in ejus sedem ab Imperatore Constante intrusus, errorem ita dissimulavit spe confirmandæ sedis contra Canones obtentæ, ut a Theodoro Papa suæ fidei laudem, non tamèn sedis confirmationem, obtinuerit. Sed tandem a Legatis Theodori adactus, ut professionem fidei ad ipsum dirigeret, scripta ad Pontificem epistola Monothelitam apertum se prodidit. Interea Pyrrhus in Africa extorris regionem hanc suæ hæreseos veneno inficere conabatur. Ipsi restitit S. Maximus Abbas, qui, habita cum illo disputatione coram Episcopis Africanis, & Gregorio Præfecto Africae, eum adegit, ut se victum fateretur: Romanque cum S. Maximo se conferens pedibus Theodori Papæ advolutus, errorem abjuravit, sed ficto animo, ut scilicet sedem suam recuperaret; paulo post enim ad vomitum reversus est.

Paulus autem Sedis Constantinop. invasor, a Theodoro admonitus, ut errorem ejuraret, dolium excogitavit, ut & famæ suæ consulere, & hæresim stabiliret. Auctor fuit Constanti Imperatori, ut edictum promulgaret, quo indicere silentium unius, vel duarum voluntatum, ut hoc saltèm silentio videretur damnata Catholica veritas de duabus in Christo voluntatibus. Edictum suum, si ly *non mentiri* sumatur negativè pro mera cessatione ab actu mentiendi, C. si sumatur pro actu positivo, quo veritatem dicebat, seu quo se huic præcepto subiecit, N. Iste enim actus positivus, cum proponeretur sub indifferencia iudicii ex propriis meritis, & aliundè esset actus obedientiæ, & humilitatis, qui necessario exigit libertatem, non poterat esse necessarius necessitate absoluta. Undè ad ultimum consequens, proportionè servata, D. Ergo observantia hujus præcepti: *Non mentiris*, negativè sumpta pro cessatione ab actu mendacii non fuit ipsi libera, transeat: Sumpta pro actu, quo voluit huic legi se subijcere, seu quo actum positivum mendacii contrarium dicebat, N.

Mortuo Paulo Monothelita, Pyrrhus Sedem Constantinop. iterum conscendit, cui succedit Petrus ejusdem sectæ homo Tempore 6. Synodi anno 668. Macarius Patriarcha Antiochenus sectæ Monothelitice erat caput, cujus etiam discipuli Stephanus Presbyter, & Polychronius Præstigiator hæresim summa pertinacia propugnabant. Viguit etiam hæc hæresis, post 6. Synodum apud Chalcedos usque ad Paulum V. Idem apud Armenos, & Maronitas habitans propè Libanum usque ad ann. 1182. sed nunc sunt Catholici.

Impugnatores Monothelismi.

SOPHRONIUS Monachus, postea Hierosolymortum Antistes, & S. Maximus Abbas, ut jam dixi, in hoc bello, maxime clauerunt. Extat Dialogus S. Maximi cum Pyrrho, quo hæc hæresis funditus evertitur. Impian Heraclii Ecclæsiam reprobatit Severinus Papa. Hanc iterum, & Hæresim ipsam damnavit Joannes II. in Synodo. Pyrrhum ad vomitum reversum anathematit, & depositionis sententia confixit Theodorus Papa. Refert Theophanes, ipsum huic sententiæ subscripsisse calamo in Calice tincto, usum sanguine Christi loco atramenti, ut hoc novo, & terribili exemplo Monothelitit, & ejus fautoribus majorem terrorem incuteret.

Hæc iterum Hæresis cum Ecclæsiæ Heraclii, & Typo Constantis damnata fuit a Mariano I. in Concil. Romano 107. Episcoporum. Quam ob causam ira percitus Imperator S. Pontificem Roma vi Constantinopolim accessivit, qui Chersonam in exilium pulsus ærumnis, & inedia confectus obiit. Justè autem damnatum fuisse Typum Constantis hinc constat, quod Principis Laici non est res fidei decernere, & quia Dogma Catholicum

simili sorte cum Hæretico involvebat. Tandem ultimò confossa est hæc Hæresis in 6. Synodo generali, tertia Constantinop. in Trullo, seu Palatio Imperatoris congregata, ann. 680. cui præfuit Agatho Papa per suos Legatos. Adfuit autem præsens personaliter ipse Imperator Constantinus Pogonatus Constantii filius cum Proceribus: non quidem rebus fidei, sed ordini servando, tumultibusque impediendis intendens. Adfuerunt Episcopi secundum aliquos 289, secundum alios 166. Hanc Synodum, mortuo Agathone, confirmavit ejus Successor Leo II.

Nota. Ab origine Monothelismi ad hanc usque Synodum, scilicet 60. annorum spatio circiter, sederunt Romæ Pontifices Honorius I. Severinus, Joannes IV. Theodorus, Martinus I. Eugenius, Vitalianus, Adeodatus, Donus, & Agatho.

Actio 4. lætæ sunt duæ Epistolæ Dogmaticæ, una Agathonis, altera Synodi Occidentalis ad Constantinum. Observandum enim, Agathonem congregasse Romæ Concilium 125. Episcoporum Occidentaliū, qui etiā suo nomine miserunt ad Concilium generale Legatos, scilicet Joannem Episcopum Portuensem, Abundantium Episcopum Civitatis Paternensis, Joannem Episcopum Civitatis Rheginatæ. Actio 9. damnatus est Macarius Antiochenus cum Stephano. Actio 13. lata est damnationis sententia in Monothelitas, cum quibus damnatus est Honorius, non ut Hæreticus, sed ut Hærescos fautor, ut dicemus infra. Actio 15. Polychronius Monachus Macarii discipulus petiit, ut chartula, in qua scripta erat hæc propositio: Qui non confitetur unam voluntatem, & unam Dei-virilem operationem, non est Christianus, super mortuum poneretur: se eum suscitaturum in probatione suæ fidei. Conditione accepta, hominis recens defuncti cadaveri admoveatur charta extra locum Concilii; & cum Polychronius per plures horas, spectante populo, prestigiatorem egisset, auribus cadaveris insurrens, nec quidquam obtinere posset, impotentiam suam fateri coactus est, Populo exclamante: *Novo Simoni Anathema; Polichronio seductori populi Anathema.* Actio 14. & 15. edita est, & promulgata fidei professio, & ingemiatum Anathema in Theodorum Pharanitanum, Sergium, & Honorium, Pyrrhum, & Paulum, Cyrum, & Petrum, Macarium, Stephanum, & Polychronium.

Rogaverat Georgius Patriarcha Constantinop. Act. 16. ut non anathematizarentur nominatim Prædecessorum suorum personæ, scilicet, Sergius, Pyrrhus, Paulus, & Petrus. Abnuil sacro Consensus. Anno 711. Philippicus Bardanes, invaso Imperio, spem fecit Monothelitis resurgendi: sed eo ad ordinem redacto, & Anastasio Catholico Principe ad Imperii fastigium evecto, spes omnis evanuit.

SECTIO II.

In quo situs sit error palmaris Monothelitarum?

Vasques hic disp. 73. c. 1. contendit, Monothelitas non negasse duas voluntates in Christo, sumpta voluntate pro facultate, seu potentia; sed in hoc eorum errorem situm esse, quod negarent actionem voluntatis humanæ, solius divinæ operatione admissa: sicut D. Thom. & Scholasticos non rectè intellexisse errorem Monothelitarum, quem ipse primus detexit. At mirum fortasse videbitur, hunc Theologum aliunde eruditissimum attigisse præ cæteris errorem Monothelitarum, qui historiam Monothelismi eo usque ignoravit, ut Typum Constantis hominem hæreticum, Pauli Constantinopolitani Discipulum fecerit. Sic legitur in ejus Commentariis in 3. p. S. Thom. disp. 73. c. 1.

Dico: Palmaris error Monothelitarum in eo positus fuit, quod unicam in Christo propugnarent voluntatem, & unicam operationem, seu volitionem. Fatemur tamèn inconstantes fuisse in exponendo suo errore. Prob. 1. cum D. Thom. hic (*Hic quest. 18. art. 1. o.*) ex Ep. Agathonis Papæ, definitis contra Monothelitas, dari in Christo duas naturales voluntates, & duas naturales operationes; ubi clarè distinguit voluntatem, & duas naturales operationes foret repetitio: quibus verbis subscriperunt Patres 6. Synodi act. 8. Ex eoque probat sanctissimus Pontifex, dari in Christo duas voluntates, quia voluntas sequitur naturam. Undè arguit Hæreticos inconsequentia, in quam eos non incidisse contendit Vasques: *Deus perfectus, inquit Agatho, & homo perfectus est Christus Jesus. Ergo naturalibus proprietatibus utramque naturam perfectam necesse est esse, & duas in operationes, & voluntates.*

2. Ex actione 8. sextæ Synodi, ubi interrogatur Hæreticus a Patribus: *An Christus humanam habuerit voluntatem, & impeccabilem?* Quibus verbis evidenter significatur voluntas ut potentia, non ut actus; actus enim non est peccabilis, aut impeccabilis, sed peccatum vel non peccatum. Simpliciter re-ponder Macarius Hæreticus: *Nos voluntatem humanam in Christo non dicimus.* In eadem actione iterum interrogatus a Synodo, & Imperatore: *Si conditur duas naturales voluntates, & duas operationes in Incarnationis dispensatione Dei nostri?* Respondit impia obstina-

tionem: *Non dico duas naturales voluntates, & duas operationes in Incarnationis dispensatione Domini nostri Jesu Christi, nec si membratim incidat, & mittat in mare.* Secunda pars patet ex Ep. citata Agathonis, ubi de his Hæreticis dicit: *Tam variè, tamque confuse locuti sunt, ut vis satis constet, quo sensu errorem suum asservenerint.* Idem S. Maximus in disputatione cum Pyrrho ipsi exprobrat, sic eum alloquens: *Nihil me ita a tuo Antecessore (Sergio) alienavit, ut mutabilitas ejus, & inconstantia, id est, in alias alio tempore transire sententias, & in nullo sensu permanere.*

Dices 1. cum Vasquesio, Monothelitz expressè concesserunt in Christo duas naturas integras: ergo nulla specie probabilitatis negare poterunt duas facultates, seu voluntates. R. C. totum; & dicimus, Hæreticos inconsequentè locutos fuisse. Mirum est sanè, id videri inconveniens Vasquesio; utque Hæreticos ab hac inconsequentia eximat, non videri ipsi inconveniens asserere, S. Thom. omnesque Scholasticos ignorasse errorem horum Hæreticorum. Insuper numquid æquali inconsequentia peccant admittendo duplicem facultatem, ut vult Vasques, & negando duplicem operationem?

Dices 2. cum eodem: Agatho Papa in Ep. citata dicit: *Voluntas motus est natura, quoniam est animi;* in quibus verbis, Vasques contendit, esse definitionem voluntatis, quam negabant Monothelitz. R. 1. Id quidem asserere Vasquesium, sed illud non probare. 2. Dato quod hoc loco Pontifex per voluntatem intellexerit volitionem, non sequitur, quòd alibi non posuerit voluntatem pro facultate, ut patet ex probat. Conclusionis.

Dices 3. cum eodem: Macarius in Confessione fidei, quam habetur actione 8. fatetur, Verbum assumpsisse carnem animatam anima rationali, & intellectuali: ergo, inquit Vasques, concedens potentiam intellectus, concedere videtur potentiam voluntatis; hæc enim mutuo se consequuntur, & unum sine alio frustrà concederet. R. N. Conseq. Eò quòd, ut jam dixi, inconsequentè loqueretur homo Hæreticus; quòd, licet Vasquesio videatur magnum inconveniens, nos pro nullo reputamus. Et numquid etiā operatio sequitur facultatem, numquid frustrà est potentia sine actu? Numquid inutilis est intellectui voluntas sine operatione? Ergo, vult nolit Vasques, etiā in sua opinione Hæretici inconsequentè locuti sunt.

SECTIO III.

Quis convocaverit Concilium sextum generale? Quis illi præfuit?

Dico 1. Hoc Concilium congregatum fuit auctoritate Agathonis Papæ, promovente, & ministerialitèr concurrente piissimo Imperatore Constantino Pogonato. Prob. Congregatum fuit ex consensu Agathonis: ergo ejus auctoritate. Patet Conseq. ex his, quæ diximus de convocacione Concilii Ephesini: vide. Patet Ant. ex litteris Agathonis ad Imperatorem, & ex missione Legatorum ad Concilium. Quòd autem legatur, Imperatorem jussisse congregari Concilium, intelligendum est de promotione, & ministerio sub auctoritate Papæ.

Dico 2. Agatho Romanus Pontifex præfuit 6. Synodo per suos Legatos Theodorum, & Georgium Presbyteros, & Joannem Diaconum. Patet ex actis Synodi act. 1. ubi dicitur: *Conveniente sacra, & universali Synodo, id est, Theodoro, & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Joanne venerabili Diacono, vicem agentibus Agathonis sanctissimi, & beatissimi Archiepiscopi antique Romæ, &c. Georgio venerabili, ac sanctissimo Archiepiscopo magne Constantinopolis, &c.* Ex actione 18. ubi actis Concilii ante omnes Patriarchas subscribunt Theodorus, & Georgius Presbyteri S. R. E. & Joannes Diaconus, locum gerentes itèr Beatissimi, & universalis Papæ urbis Romæ. Ex Diurno Romanæ Ecclesiæ, ubi dicitur: *Sextum Concilium generale, cui Agatho Papa per Legatos suos, & Responsales præfuit.*

Dices 1. Lambertus Scafnaburgensis refert ex vener. Beda Georgium Constantinop. & Macarium Alexandr. huic Concilio præfuisse. Idem Hincmarus Remensis, & Marianus Scotus. R. Hos Auctores certò fuisse errorem passos contra apertam fidem actorum Concilii, ubi Legati Agathonis, & semper nominantur primi, & primi subscribitur. Hæc fortè fuit eis causa erroris, quòd Legati sederent a sinistris, Georgius, & Macarius a dextris, non intelligentes sinistram in Ecclesia esse honoratorem.

Dices 2. In 11. primis actionibus Concilii, & in 18. legitur Præsidente piissimo, & Christo dilectissimo magno Imperatore Constantino. Idem in Diurno Romanorum Pontificum, & alibi ergo. R. Imperatorem dici præsidere Concilio, non ut contriversiarum fidei Judicem, sed ut Ecclesiæ, & Concilii defensionem, non auctoritatem, & potestatem, sed loco & honore; quia scilicet primo, & honorificentiori loco sedebat: undè post omnes Episcopi subscripsit: & Episcopis subscribentibus hæc formula N. Episcopus, definitis subscripsit, ipse Imperator subscripsit.

sit his verbis: *Constantinus in Christo Deo Rex, ac Imperator Romanus legitimus, & consensus.* Nec alias partes ipsi tribuunt Patres Concilii in Ep. Synodica ad Agathonem, quam hortatoris & adjutoris: *Constantino, inquit, nobis ad decernendum hortator, qui divinè imperat; quo adjutore impietatis errorem evertimus.*

SECTIO IV.

De Honorii Romani Pontificis damnatione in sexta Synodo generali.

Circa hoc factum variz sunt opiniones. Quidam dicunt, Honorium non fuisse damnatum in 6. Synodo œcumenica, sed acta hujus Synodi, in quibus damnatur, esse interpolata a Græcis. Hujus sententiæ videtur Auctor Baronius. Alii volunt, fuisse damnatum ut Hæreticum. Alii tandem agnoscunt, fuisse reverè damnatum, non tamèn ut Hæreticum, sed ut hærescos, & Hæreticorum fautores. Et hæc sententia videtur communior, & probabilior.

SUBSECTIO I.

Utrum Honorius fuerit damnatus in sexta Synodo?

Dico: Honorius fuit reverè damnatus in 6. Synodo. Prob. 1. ex actis hujus Synodi. Actio 13. legitur: *Cum illis (Sergio, Cyro, Pyrrho, Paulo, Theodoro) simul profici a sancta Dei Catholica Ecclesia, similique anathematizari providimus & Honorium, qui fuerat Papa antique Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit.* Actio 16. *Theodoro Pharanitano Hæretico anathema. Cyro Hæretico anathema. Honorio Hæretico anathema.* Idem actio 18. in definitione fidei, & in sermone acclamatorio ad Principem Item in Ep. Synodica ad Agathonem Romanum Pontificem: *Anathematibus interfecimus, ex sententia per sacras vestras Litteras de his prius lata, Theodorum Episcopum Pharanitanum, Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum.* Confirm. ex Concilio Œcumenico 7. & 8. In 7. act. 7. damnatur Honorius cum Monothelitis. In 8. act. 7. approbatur Epistola Adriani II. in qua refert, Honorio ab Orientalibus anathema post mortem dictum fuisse, quòd accusatus fuerat super hæresi.

Prob. 2. ex decabus Epistolis Leonis II. qui Synodum 6. confirmavit. In Epist. ad Constantinum Imperatorem, qua Concilium confirmat, post damnatos Theodorum Pharanitanum, & Petrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, & Petrum Constantinopolitanos Præsules, ferit etiā anathemate Honorium, qui, inquit, hæc Apostolicam Ecclesiam non Apostolicæ traditionis doctrina lustravit, sed profana traditione immaculatam maculari permisit. Et in altera Ep. ad Episcopos Hispaniæ, in qua dicit: *Qui vero adversus Apostolicæ doctrine puritatem perduclles extiterunt, abentibus quidam æterna condemnatione multati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantinopolitanus, cum Honorio, qui hæreticam hæretici dogmatis non, ut decuit Apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo fovit.*

Prob. 3. ex Vener. Beda Auctore cœvo, qui libr. de sex mundi ætatibus dicit: *Macarius verd cum suis sequacibus, simul & prædecessoribus Cyro, Sergio, Honorio, Pyrrho, Paulo, & Petro anathematizati.* Idem ex Anastasio Bibliothecario Prefatione in sua Collectanea ad Joannem Diaconum; ex Adone Viennensi in Chronico, & ex pluribus aliis.

Respondet Baronius acta 6. Synodi, ubi referunt damnationem Honorii, esse adulterata a Græcis, qui, ne viderentur soli sui Patriarchæ damnati, nomen Honorii cum illis intruserunt. Et inde testimonia sequentia sive 7. & 8. Synodi, sive Leonis II. sive aliorum, his solis actis adulteratis innixa, nullius esse ponderis. Addit laudatus Annaliū Patens, duas Epistolas Leonis esse suppositas. Rationes, seu conjecturas, quibus & hæc actorum adulterationem, & hæc Epistolularum suppositionem probare contendit, infra referemus & dilegemus. Sufficit nunc ostendere, hæc actorum depravationem nullatenus fuisse possibilem.

Id autem sic demonstro; exemplaria authentica actorum tradita sunt quinque Patriarchis, aut eorum vicibus gerentibus. Hoc constat ex act. 18. ipsius 6. Synodi, in qua Patres post Sermonem acclamatorium suppliciter Imperatori his verbis: *Ad majorem Orthodoxæ fidei stabilitatem, & confirmationem, ut subscripta exempla definitionis relectæ, & præsentæ vestrae Serenissima Potestate, edantur quinque Patriarchalibus Sedibus, unà cum pia vestra subsignatione.* Sequitur: *Constantinus piissimus Imperator dixit: quod etiā nunc a sancto, & universali vestro Concilio positum est, piè concilium.* Subjungitur ibid. *Sciendum, quòd juxta ea, quæ interlocutus est piissimus & Christianus. Billuart. Pars Tertia.*

tum diligens Imperator Constantinus, vel etiā pollicitus est, exempla definitionis cum subsignatione manusque ejus Serenitatis præbiti quinque Patriarchalibus Sedibus, hæc modo. "Apostolicæ Sedi sancti & Principis Apostolorum nempe Agathonis sanctissimo Papæ senioris Romæ." Et sic de aliis quatuor Patriarchis proportione servata. Idem testatur Agatho Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus, in eadem Scriporum Thesaurarius, & ipsius 6. Synodi Notarius, in Peroratione, quam duplici juris fecit noster Combesis in Auctario Bibliothecæ Patrum.

Hoc supposito, quæro, quandonam ista acta depravata fuerint? Non, durante Concilio, neque antequàm exemplaria traderentur Sedibus Patriarchalibus; hæc enim depravationem procul dubio non tulissent, præsertim Legati summi Pontificis, sed contra eam reclamassent, tanquam injuriosam Honorio, & sanctæ Sedi. Non, post tradita exemplaria Patriarchalibus Sedibus; quamvis enim fortè potuissent Græci adulterare exemplar traditum Ecclesiæ Constantinop. aut illud, quòd servabatur in palatio Imperatoris, quòd tamèn non est verisimile in piissimo, & apprime Catholico Imperatore, sicut non potuissent adulterare exemplaria tradita aliis Sedibus, & præsertim Legatis Sedi Apostolicæ, cum non essent amplius inter eorum manus, nec id passi fuissent Legati, ut jam dictum est. Stet ergo inconstans, acta Synodi sextæ Leonii II. Agathonis Successori per Legatos oblata, in quibus Honorius legitur damnatus, esse genuina & non depravata,

Solvuntur Objectiones.

Obi. 1. Agatho Papa, & Romana Synodus, quam coegerat, in suis litteris ad Imperatorem permittunt dumtaxat Legatis ad 6. Synodum missis damnare eos, quos ipse, aut Synodus Lateranensis sub Martino I. damnaverant, inter quos non recensetur Honorius: hoc autem mandatum Legati indubie non fuerunt transgressi: ergo adulterata sunt acta Concilii, ubi Honorius legitur damnatus. R. 1. Id quidem agathonis ab Auctoribus reperio; at id in Epistola, sive solius Agathonis ab Auctoribus, sine ipsius & Concilii Rom. ad eosdem, non reperio. Equidem in Ep. Agathonis hæc lego: *Licentiam proinde eis (Legatis) sive auctoritatem dedimus apud tranquillissimum vestrum Imperium, dum jussisset ejus Clementia, simpliciter satisfaciendi, in quantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil profecid præsumant augere, minuire, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedi, ut a Prædecessoribus Apostolicis Pontificibus instituta est, sinceritèr enarrare.* Quidpiam simile legitur in Ep. ejusdem Agathonis, & Synodi Rom. ad eosdem Imperatores. Verum hæc spectant dogmata definienda, non personas damnandas. Undè Macarium, Stephanum, & Polychronium, qui antè damnati non fuerant, damnarunt sextæ Synodi Patres; non tamen idèo limites ab Agathone & Synodo Rom. præscriptos excessisse dicuntur. R. 2. Isto, alicubi mandatum fuerit Legatis non damnare nisi eos, qui jam prius fuerant damnati; duplicis generis distinguenda sunt mandata Legatis dari solita: scilicet publica, quæ dicuntur *Patentia*, & secreta. Id probat Christianus Lupus ex Regesto & Epistolis Hormisdæ, inter quas etiam nunc extat instructio data Legatis, ad Anastasium, & Justinum Augustos missis; item ex litteris S. Gregorii, & Leonis; idque prudentia est, & fieri solet in negotiis odiosis. Habebant ergo Legati in mandatis publicis & Patentibus non damnare nisi eos, qui vel ab ipso Agathone, vel a Martino I. jam damnati fuerant; at habebant in secretis; quòd, si Græci damnationi suorum Patriarcharum acquiescere nollent, nisi damnaretur & Honorius, quem Monothelitis favisse meritò contestabantur, pro bono pacis, & Ecclesiæ tranquillitate ipsum eam aliis damnarent. Hanc porro permissionem secretam fuisse datam, sat aperte declarat Adrianus II. in Ep. quæ lecta, & probata fuit in 8. Synodo; ubi, postquam dixit, Honorio anathema dictum esse ab Orientalibus in 6. Synodo, subdit: *Quamquam & ibi nec Patriarcharum nec cæterorum Antistitum eumprimæ Sedi Pontificis consensus præcessisse, auctoritas.*

Inst. 1. Patres 6. Synodi in Ep. ad Agathonem datam post absolutam Synodum, dicunt: *Anathematibus interfecimus, ex sententia per vestras litteras de his prius lata: videlicet Theodorum Episcopum Pharan. Sergium, Honorium, Cyrum, Paulum, Pyrrhum, & Petrum;* atqui certo constat, Agathonem per suas litteras non tulisse sententiam contra Honorium: ergo apertum est, acta hujus Synodi esse interpolata, & nomen Honorii in iis esse malitiosè insertum. R. Juxta præcedentem solutionem, D. Min. Agatho non tulerat sententiam contra Honorium absolute, & per litteras publicas, seu Patentiales, C. permissivè, seu dispensatorie secundum instructionem secretam datam Legatis, N.

Inst. 2. Agatho in sua ad Imperatorem Ep. dicit: *Consideret itaque vestra tranquilla Clementia, quoniam Dominus & Sal-*

vator omnium, cuius fides est, qui fidem Petri non defecturam promisit, confirmare cum suis fratribus admonuit, quod Apostolicos Pontifices...

Inst. 3. Idem Agatho paulo post subiungit: Apostolicae meae parvitas Praedecessores Domini doctrinis instructi, ex quonovitates hereticas in Christi immaculatam Ecclesiam Constantianopolitanae Ecclesiae Praesules...

Obj. 2. Theodorus, qui ob Monothelismum eiectione fuerat o Sede Constantinop. damnatus fuit nominatum a 6. Synodo cum aliis Patriarchis Constantinopolitanis Monothelitis; atqui tamen eius nomen non legitur in actis huius Synodi...

Obj. 3. Martinus I. in Concilio Lateran. praedamnans nominatum Patriarchas Orientales Monothelitas, Cyrum, Sergium, &c. & Ectesim Heraclii, atque Typum Constantis, ut heresi faventia, sicut de Honorio...

Inst. Martinus in Epistola ad Ecclesiam Antiochenam, & Jerosolymitanam, recensens Auctores Monothelismi, scilicet Patriarchas Orientales, ipsis opponit Romanos Pontifices, qui non permiserunt eos fidei Thesaurum surripere; Atqui, si Honorius vel Monothelita, vel Monothelismi fautor fuerit...

est, huius Apostolicae Sedis Pontifices non permisimus. eos fidei surripere Thesaurum, sed ipsos... synodaliter condemnavimus, ubique omnibus eorum heresim publicantes.

Obj. 4. Binæ Epistolae Leonis II. una ad Constantinum Imperatorem, secunda ad Episcopos Hispaniae, quae sunt alterum assertionis nostrae fundamentum, sunt supposititiae: ergo. Prob. Ant. De prima: 1. quia in ea legitur Constantinum pro congreganda 6. Synodo scripsisse ad Agathonem...

Ad Prob. 2. partis Ant. R. missos fuisse ex Occidente Archiepiscopos ad 6. Synodum, si non per se, saltem per suos Legatos. Adfuit enim Legatus Archiepiscopi Ravennatis, & tres Episcopi missi sunt...

SUBSECTIO II

Quo titulo Honorius fuerit damnatus in 6. Synodo.

Dico. Honorius non fuit damnatus in 6. Synodo, ut Hæreticus, sed tantum, ut hæresos fautor. Prob. 1. pars. Si Honorius fuisset damnatus in 6. Synodo ut Hæreticus, maxime quia in Epistola 1. ad Sergium dixit: unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu-Christi...

Et ita Epistolam, & sensum Honorii exposuerunt insignes in Ecclesia viri Joannes IV. S. Maximus, & alii. Joannes IV. in Apologia pro Honorio ad Constantinum Imperatorem Heraclii filium, posito principio quo utitur Honorius ad ostendendam unam voluntatem in Christo, scilicet quod a Verbo sit assumpta natura, non culpa, de quo supra, sit conclusit: Unde scientes, quod nullum in eo, cum nasceretur, & conuersaretur, esset peccatum, decenter diximus, & veraciter confitemur unam voluntatem in sancte ipsius dispensationis humanitate, & non duas contrarias mentis, & carnis predicamus, secundum quod quidam Hæretici velut in puro homine delirare noscuntur...

S. Maximus in Dialogo contra Pyrrhum, ubi, cum Hæreticus Patriarcha dixisset: Quid habes de Honorio dicere, qui ad Pra-

Praedecessorem meum scribens, unam Domini nostri Jesu-Christi voluntatem aperte dogmatizaverit? S. Maximus respondet: Quis illius Epistolae fide dignus erit Interpretes? Qui eam ex persona Honorii composuit, & vivit adhuc? An Constantianopolitani de corde suo loquentes? Pyrrhos? Qui eam composuit. S. Maximus. Ille idem igitur ad divum Constantinum quondam Imperatorem scribens rursus ex persona Sancti Papae Joannis de ipsa unam, inquit, voluntatem Domini diximus non divinitatis ejus, & humanitatis, sed solius humanitatis. Cum enim scripsisset Sergius, esse, qui dicent in Christo duas contrarias voluntates, rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates, carnis, inquam, & spiritus, sed unam tantum, qua naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est. Ad ista esse evidenter ex eo demonstratur quod membrorum, & carnis facta est mentio, quae divinitati quousque ejus non possunt attribui. Idem S. Maximus in Epist. ad Marinum, quae extat inter Anastasii collectanea juxta eundem sensum explicat Honorium, & subdit se id eo certius habere, quod illud accepit ab Anastasio Abbate, qui acceptat a Joanne Sympono Honorii Secretario, qui hanc ejus Epistolam scriperat.

Dices contra hanc explicationem: Eo sensu Honorius asseruit unam in Christo voluntatem, quo prohibuit duas dici operationes; atqui prohibuit duas dici operationes respectu divinitatis, & humanitatis, ut patet ex his ejus verbis in Epist. 1. ad Sergium: Utrum autem propter divinitatis, & humanitatis, una, an geminae operationes debeant dici vel intelligi, ad nos ista pertinere non debet. Ergo. R. N. Maj. Nihil enim nos cogit eam concedere, sed tantum quod Honorius inconsequenter locutus fuerit, quod non negamus. Quin imò magis inde evincitur sententia nostra de ipso: quatenus enim negat duas voluntates contrarias in humanitate Christi, carnis scilicet, & spiritus, Catholicus est. Quatenus autem prohibet dici duas operationes divinitatis, & humanitatis, fautor est Hæreticorum. Et hæc œconomia ejus insituito conveniens videbatur, qua scilicet nec errorem assereret, & tamen instanti Sergio satisfaceret.

Insuper esto, Honorium asseruisse unam voluntatem respectu divinitatis, & humanitatis, dicam intellexisse unam unitate consensionis, & concordie, non unam unitate nature: hoc est, negasse voluntatem humanitatis esse contrariam voluntati divinitatis, qualiter in nobis peccato sauciatis invenitur, in quibus non solum caro adversus spiritum, sed spiritus adversus Deum expe insurgit. Nec est, qui possit contrarium evincere; ut enim dicit Anastasius in Praeatione ad sua collectanea: Esto, & ipse (Honorius) dicitur (huius Epistolae) extiterit: Quis hinc illum interrogavit? Quis intentionem investigavit? Quis hunc corrigere voluit, & ille percontanti, aut emendare volenti restitit, vel contentionibus serviens resultavit?

Scio, quosdam compendiosius hanc controversiam dirimere, dicendo, hanc Honorii Epistolam esse interpolatam, & ipsum non dixisse unam, sed novam voluntatem. Idque probant ex S. Maxim. in Epist. ad Marinum, in qua testatur se accepisse ab Anastasio Abbate; Anastasius autem a Joanne Sympono Abbate, qui jussu Honorii hanc Epistolam scriperat, ipsum nullo modo mentionem fecisse unius omnimodis voluntatis. Verum hanc rationem esse leviorē agnovit ipse S. Maximus, siquidem in eadem Epist. laboret in exponendo sensu catholico, quo Honorius dixit unam voluntatem. Insuper Joannes IV. in Apologia pro Honorio agnoscit, hanc esse ejus impositionem: Fatemur unam voluntatem Domini nostri Jesu-Christi. Tandem Synodus 6. 7. & 8. summi Pontifices Leo II. & Hadrianus II. hanc Epistolam esse interpolatam nusquam suspicant.

Prob. utraque pars similis ex Epist. jam laudata Leonis II. ad Episcopos Hispaniae, in qua causam damnationis Honorii refert, non ad hæresim, sed ad negligentiam illam comprimendi, his verbis: Qui vero adversus Apostolicam Doctrinam puritatem perduelles extiterunt abeuntis quidem eterna damnatione multati sunt, id est, Theodorus Pharanitanus, Cyrus Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus Constantianopolitani, cum Honorio, qui flammam heretici Dogmatis non, ut dicitur Apostolicam Auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligentiam confovit. Similiter idem in Epist. etiam laudata ad Imperatorem Constantinum: Parietque (inquit) anathematizamus noverroris inventores, id est, Theodorum Pharanitanum Episcopum, Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, Paulum, Petrum, Constantianopolitanae Ecclesiae Subsecessores (Insidiatores) magis quam Praesules, nec non Honorium, qui hanc Apostolicam Ecclesiam non Apostolica traditionis doctrina lustravit, sed prophana prodicione immaculatam maculari permisit. Vides Theodorum, Sergium, &c. damnari, ut Perduelles adversus doctrinam Apostolicam, & ut novi erroris inventores; Honorius vero tantum, qui incipientem heresim neglexit extinguere, & Ecclesiam immaculatam maculari permisit. Vide insuper in sol. Obj. simile testimonium Imperatoris Constantini Pogonati.

Prob. specialiter 2. Pars. Honorius dicitur duarum operationum ratione Theol. Billuart. Pars Tertia.

cras voces, nascente hæresi, sileri jussit, morem in hoc generi Monothelitis, cum ipsis communicavit; illos laudavit, ipsos comprimere, & damnare neglexit, cum id ipsi incumbere ex officio: ergo merito damnatus est a 6. Synodo, ut hæresis fautor. Patet Conseq. Non enim alia ratione Heraclius in Ectesi, Constans in Typo fuerunt damnati, quam quia duarum operationum vocabulum sileri jusserant. Sic etiam Adrianum fautor habitus fuisset, qui vocem Homousion usurpari prohibuisset; Nestorianorum fautor, qui vocem Despara de B. Virgine dici prohibuisset; maxime si insuper cum istis Hæreticis communicasset, & ipsos laudasset.

Antecedens autem constat ex Epistolis Honorii ad Sergium. In prima, quae relata est actione 12. sextæ Synodi, 1. laudat Sergium Monothelitarum Antesignanum novitatem vocabuli auferentem, quod posset scandalum simplicibus generare. Deinde dicit: Neque Evangelicas, neque Apostolicas Litteras, neque Synodales apices, unam, vel duas energias explanasse. Novas voces refutandas, quae quidem noscuntur sanctis Dei Ecclesiis scandala generare. Et tandem sic concludit: Hæc nobiscum vestra fraternitas predicet, sicut & nos ea vobiscum predicamus, unanimiter, hortantes vos, ut unius, vel geminae novae vocis inductam operationis vocabulum asfugientes, unum nobiscum Dominum Jesum Christum Filium Dei vobis, Deum verissimum, in duabus naturis operatum divinitatis, atque humanitatis fidei Orthodoxae atque unitate Catholicae predicetis. In 2. Epistola ad eundem Sergium, quae recitata est actione 13. ait. Unius autem operationis, vel duarum esse, vel fuisse mediatorum Dei, & hominum Dominum nostrum Jesum Christum sentire, & promere satis ineptum est... Asferentes ergo, sicut diximus, scandalum novelle adinventiois, non nos oportet unam, vel duas operationes definiētes predicare. Ergo.

Solvuntur Objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem Conclusionis. Actione 18. Synodi 6. non semel dictum est Honorio Hæretico anathema. Actione 13. Patres ejus Epistolas execrantur, ut omnino alienas ab Apostolicis dogmatibus, & a definitionibus Conciliorum, & cunctorum probabiliū Patrum, sequentes verò falsas doctrinas Hæreticorum. Tum ipsum anathematizant, quia in omnibus Sergii mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit. Actione 14. declarant, duas Epistolas Honorii in unam, eandemque impietatem tendere cum Opusculis Hæreticorum. Dicunt, Theodorum, Sergium, Pyrrhum, Petrum, & Paulum, & Honorium Hæresim in populum Catholicum spargere: ergo Honorius damnatus fuit ut Hæreticus, non secus ac Theodorus, Sergius, & alii Hæretici, ibi nominati. R. Honorium a 6. Synodo damnatum fuisse ut Hæreticum communionem cum Hæreticis, favore, & patrocinio impenso Hæreticis, & conniventia, negligendo hæresim comprimere, non ut Hæreticum sententia, & pertinacia. Similiter ejus Epistolae declaratae sunt alienae ab Apostolicis dogmatibus, & sequi falsas Hæreticorum doctrinas, non minus quam Epistolae Sergii; quia convenit cum Sergio in modo loquendi, & in perniciosa œconomia obvolvendi silentio duarum voluntatum, & duarum operationum sacras voces, quae œconomia dogmatibus Apostolicis adversatur. Dicitur: in omnibus mentem Sergii secutus, & impia dogmata confirmasse; non consentiendo, sed connivendo; non approbando falsum dogma, sed silentium indicendo de una, vel duabus operationibus. Dicitur: in eandem impietatem tendere cum Hæreticis, sed dispari modo; isti pravi dogmatis assertionem, ille Catholici dogmatis dissimulationem. Dicitur non secus ac Sergius, Pyrrhus, &c. Hæresim spargere; iterum dispari modo, illi scilicet docendo, Honorius docentibus non resistendo, eundem loquendi modum cum ipsis tenendo, & per silentii iusurionem ipsis connivendo: quibus modis ad hæresim spargendam contulit. Porro hanc esse mentem Concilii invictè constat ex Leone II. ipsis Concilii confirmatore in duabus Epistolis, una ad Episcopos Hispaniae, altera ad Imperatorem, quarum verba retulimus in Prob. conclusionis Relege. Item constat ex ipso Imperatore Constantino Pogonato, qui Concilio adfuit, & mentem Patrum apertè noverat. Is in Edicto, quod legitur post Act. 18. dicit: Super hæc omnia anathematizamus eos, qui superacorum, & novorum dogmatum Hæreticis Auctores, atque fautores sunt: dicimus autem Theodorum, qui fuit Pharanitanus Episcopus, & Sergium, qui fuit huius a Deo conservandae nostrae Regie Urbis Antistes... Ad hæc & Honorium, qui fuit antiqua Romae Papa, horum heresios in omnibus fautor, concursor, atque confirmator. Aperte distinguit, ut patet inter Hæreticos Auctores, & propugnatores hereseos, & simplices ejus fautores. His annumerat Honorium, non primis.

Inst. Honorius in controversia de Christi voluntate, & operationibus locutus est, sicut Hæretici Monothelita: ergo censeri debet Hæreticus Monothelita. R. D. Ant. Locutus est sicut Monothelita, & in eodem sensu, N. & in diverso sensu, C. Verba enim Catholicis, & Hæreticis quandoque sunt communia: N 2 616

sic homo unum fuit commune Paulo Samosateni, & Patribus Nicænis, sed longè diverso sensu usurpatum.

Inferes: ergo Honorius fuit illegitimè damnatus. Prob. Illatio. Si Honorius non fuit Hæreticus, remansit Pontifex; atqui summus Pontifex a nemine potest condemnari; ergo. R. N. Illationem. Ad prob. dico, Pontificem mortuum non remanere Pontificem; quia post mortem non habet amplius jurisdictionem, ratione cuius esset Pontifex. Fuit autem damnatus Honorius post mortem.

Obj. 2. contra 2. partem. Quòd Honorius ex œconomia, & studio pacis jussit siliari de una, vel duplici operatione in Christo, non debet idèò culpari, & damnari tanquam Hæresis fautor: ergo. Prob. Ant. Vigilius Papa in controversia de tribus capitulis utriusque parti silentium indixit usque ad Synodi celebrationem, nec tamèn idèò culpatur ut fautor trium Capitulorum: S. Basilius magnus Macedonianis indulsit silentium de Spiritu S. divinitate, quòd eos ad verè fidei professionem revocaret, nec idèò damnatur ut fautor Macedonianorum: ergo similiter Honorius. R. N. Ant. Ad 1. Probat. N. Conseq. Quia non est eadem ratio controversiarum circa facta, & circa aliquod fidei caput. In controversiis circa facta etiàm dogmatica potest aliquando imperari silentium saltèm ad tempus, ut fecit Vigilius: at in controversiis circa aliquod fidei caput imperari absolute silentium, ut fecit Honorius, est causam fidei proderè, & errori contrariò favere. Ad 2. Prob. similiter N. Conseq. Disparitas est, quòd, licèt S. Basilius vocem Deitatis taceret ad tempus, adhuc tamèn aliis vocibus æquivalentibus e Scriptura pe-

nitis, testimoniisque eadem vim habentibus, adversarios ià premebat, ut nullo modo repugnare possent, ut testatur S. Gregorius Nazianz. At verò Honorius, jubens siliari vocem duplicis operationis, seu voluntatis in Christo æquivalentia verba non adhibebat, nec Monothelitas impugnabat; quin e contra eodem modo, ac illi loquebatur, & Sergio eorum Principi se assentire palam profitebatur.

Inst. Honorius non secus ac Basilius veritatem catholicam verbis æquivalentibus expressit, ut patet ex ejus Epist. secunda ad Sergium, in qua dicit: *Quantum ad dogma Ecclesiasticum attinet, utrasque naturas in uno Christo unitate naturali copulatas cum alterius communiõne operantes, atque operatrices confiteri debemus, & divinam quidem, quæ Dei sunt, operantes, & humanam, quæ carnis sunt, exequentem*: ergo. R. Hæc non satisfecit Honorio, ut impugnaret, & comprimeret Monothelitas, siquidem hi eadem verba, quæ sunt S. Leonis, adhibebant, & sub eis suam hæresim occultabant, ut constat ex Epist. secunda Sergii ad Honorium, & ex confessione Macarii, relata actione 8. Synodi 6. Sic ergo dicebant, carnem assumptam a Verbo exequi, quæ carnis sunt propria, ut intelligerent id eam præstare ut motam a Verbo, tanquam ejus instrumentum mortuum: unde carnis operationem passionis potius, quam actionis rationem habere asserbant. Honorius itaque verbis laudatis fidem de duabus Christi operationibus non satis clarè pro tempore professus est, & explicuit, nec hæreticum sensum sufficienter exclusit.

DISSERTATIO XIX.

DE OPERIBUS CHRISTI MERITORIIIS, ET SATISFACTORIIS.

D. Thom. Quest. 19.

Uz tractat D. Thom. 1. & 2. art. hujus questionis de una, vel multiplici operatione Christi, sufficienter explicata manent ex præced. Dissert. contra Monothelitas. Undè ad expositionem tertii, & quarti art. ubi agit de merito Christi, proferamus, questionem de satisfactione ejus propter affinitatem adjungemus. Sit itaque

ARTICULUS I.

De merito Christi.

An, quando, & per quos actus Christus meruerit?

Dico 1. Christus verò, & propriè meruit. Est de fide definita in Concil. Trid. sess. 6. cap. 7. ubi expressè dicitur, Christum fuisse causam meritoriam nostræ justificationis. Colligitur ex pluribus locis Scripturæ, quibus exaltatio Christi, redemptio generis humani humilitati, obedientiæ, passioni, &c. Christi ut causæ meritoriz tribuuntur. Sic ad Philipp. 2. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Propter quod, & Deus exaltavit illum*. Isa. 53. *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum*. Et: *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & saturabitur*.

Patet etiàm ratione: quia in actibus Christi reperiuntur omnes conditiones, quas Theologi requirunt ad merendum apud Deum in Tract. de gratia. 1. erant liberæ, ut probavimus Dissert. præced. 2. erant bonæ ex objecto, & circumstantiis, juxta illud Joann. 8. *Quæ placita sunt, et facta semper* 3. procedebant a subiecto justo, & grato. 4. ordinabantur chasitatis virtute ad gloriam Dei. 5. erant viatoris; Christus enim erat simul viator, & comprehensor, ut diximus suprâ Dissert. 15. art. ultimo, petit. 6. ex parte Dei aderat acceptatio harum actionum ad præmium, ut patet ex verbis Isaie suprâ citatis. Quamvis tamèn aliqui Theologi, inter quos Joannes a S. Thom. negent hanc conditionem requiri ad meritum Christi, sed sufficere, quòd ipse Christus suas actiones ordinat, & acceptatum ad præmium, quia ipse est Deus, adeoque persona ordinans est Deus; non sic de aliis hominibus respectivè ad Deum.

Dices 1. Licèt Christus esset simul viator, & comprehensor, non erat tamèn viator secundum animam, quæ fruebatur Deo, sed secundum corpus, quod erat mortale; atqui meritum debet esse ab anima, non a corpore; ergo. R. D. Maj. Non erat viator secundum animam, consideratam secundum se, & in ordine ad Deum, C. consideratam ut est forma corporis. N. Patet ex dictis dissert. 15. cit.

Dices 2. Meritum importat imperfectionem in merente; qui enim meretur, expectat sibi aliquid conferendum ab alio, tan-

quam a superiore; atqui in Christo repugnat: ergo. R. D. Min. Id Christo repugnat ratione divinitatis, C. ratione humanitatis, N. Mirabili itaque fœdere, & suppositum divinum, & humanitas concurrerunt in Christo ad ejus meritum: suppositum divinum ad id, quod perfectionis est, conferens nempe infinitatem valoris; humanitas ad id, quod imperfectionis est, scilicèt ad inferioritatem, & subjectionem.

Dico 2. (Hic q. 34. art. 3. o.) Christus meruit a primo instanti suæ conceptionis usque ad finem vitæ. Est communis cum Auctore. Probr. 1. ex illo ad Hebr. 10. *Ingressus mundum dicitur hostiam, & oblationem noluit: corpus autem aptasti mihi... Tunc dixit: Ecce venio: In capite libri scriptum est de me: Ut faciam, Deus, voluntatem tuam*. Porro, *ingrediens mundum*, intelligitur secundum Interpretes primo instanti conceptionis; & bene, nam ante illud non est ingrediens, sed ingressurus, post illud non est ingrediens, sed ingressus; atqui illa oblatio, qua se victimam in illo instanti obtulit Patri, erat meritoria, nihil enim illi deerat ad meritum: ergo. Prob. 2. ratione. Ab illo instanti usque ad finem vitæ habuit vi scientiæ infusæ usum rationis independentem a phantasmatis, nulloque idèò impedimento detinebatur: ergo potuit ab illo instanti ad finem vitæ sine interruptione actus meritorios elicere: idque fecisse suadent ejus dignitas, & sanctitas.

Dices 1. Prius est esse, quam operari: ergo Christus non meruit in 1. instanti. R. D. Ant. Prius est esse, quam operari operatione successiva, C. instantaneâ, Subd. Prius est esse natura, C. tempore, N. Sic eodem instanti reali quo sol existit, illuminat.

Dices 2. Si Christus a 1. instanti Conceptionis meruisset, nihil postea mereri potuisset; atqui: ergo. Prob. Sequela. Illud primum meritum fuisset infiniti valoris, adeoque quodlibet præmium meruisset: ergo. R. 1. Hoc argumentum nimis probare, scilicèt, Christum non meruisse nisi in ultimo vitæ instanti. R. 2. N. Maj. ad probat. D. Illud meritum fuisset infiniti valoris, & seorsim ab aliis meritis ordinatum, & acceptatum ad præmium, C. Non ergo singula Christi merita seorsim ordinabantur, & acceptabantur ad præmium, sed omnia simul, morte consummata.

Dico 3. (Hic q. 50. art. 6. o. & ad 2.) Christus non meruit in instanti mortis suæ; nec a fortiori post mortem. Prob. Status viatoris de lege Dei ordinari requiritur ad meritum, nec ab ea lege se exemptum indicat ipse Christus Joann. 9. his verbis: *Me oportet operari opera ejus, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari*: ubi per diem SS. Patres intelligunt tempus vitæ, per noctem tempus mortis; atqui Christus in instanti mortis, a fortiori post mortem, non

erat amplius Viator: ergo. Prob. Min. Secundum Philosophos viventia desinunt per primum sui non esse, in quo verum est dicere, nunc non est vivens, & immediate ante erat: ergo in instanti mortis, quod est extrinsecum vitæ, Christus non erat amplius homo vivens, adeoque nec Viator.

Dices 1. Christus meruit per suam mortem: ergo. R. D. (Ib.) Ant. Christus meruit per suam mortem in fieri, scilicèt, per Passionem, quæ tendebat ad mortem, C. per suam mortem in facto esse, N. Potest etiàm dici, Christum meruisse per mortem in facto esse non formalitèr, sed objectivè, quatenus vivens eam voluntariè acceptavit, & obrulit Patri. Hac solutione ultima solvitur instantia de Resurrectione, & de vulnere lateris, a quo quidam Patres dicunt fluxisse vitam, salutem, Sacramenta: nisi fortè intelligas etiàm & bene, fluxisse Sacramenta figurativè, quia fluxit aqua, figura Baptismi; fluxit & sanguis, figura Eucharistiæ. Potest etiàm dici secundum D. Thom. (Ib. o.) quòd, licèt hæc plaga, & quiddid contingit circa carnem Christi, anima separata, non fuerit nobis meritorium, fuerit tamèn nobis salutiferum efficiënter ut instrumentum Divinitatis unitæ.

Inst. Martyres merentur formalitèr per mortem in facto esse: ergo. Prob. Ant. Merentur aureolam formalitèr per mortem; atqui illam non merentur, nisi mors sit consummata: ergo. R. N. Ant. ad probat. N. Min. Merentur enim aureolam in ultimo instanti intrinsecò vitæ, in quo verum est dicere, nunc vivunt, & post non vivunt: licèt non detur, nisi morte consummata.

Repones: Voluntarium in causa sufficit ad meritum, sicut ad demeritum; atqui tam in Christo, quam in Martyribus mors in instanti extrinsecò vitæ est voluntaria in causis, quibus se voluntariè subjecerunt: ergo. R. D. Maj. Voluntarium in causa sufficit ad meritum, si adsint aliæ conditiones requisitæ, inter quas est status viatoris, C. secus, N.

Dices 2. Christus in coelis orat pro nobis, juxta illud Rom. 8. *Interpellat pro nobis*: ergo. R. N. Conseq. Quia, licèt omnis oratio sit imperatoria, non tamèn est semper meritoria. Undè S. Thom. 2. 2. q. 83. art. 16. docet, peccatores petendo aliquid a Deo impetrare, & tamèn ad 2. negat eos mereri. Ibid. art. 11. ad 1. docet, Sanctos in coelo orare pro beatitudine corporis, eamque impetrare, & tamèn non mereri. Tandèm donum perseverantiæ cadit sub impetratione, non tamèn sub merito, ut docet ibid. S. Doctor 1. 2. q. 114. art. 9. ad 1.

Dico 4. (Ib. q. 18. q. 1. art. 5.) Christus meruit per omnes actus liberos humanæ voluntatis. Dico: *humanæ voluntatis*; quia ratio meriti involvit aliquam dependentiam a præmiante; divina autèm voluntas Christi nullam habet superioritatem, a quo dependeat. Prob. Conclusio; quia, supposita libertate in actionibus Christi, nulla deest illis conditio ad meritum. Et quidèm 1. sunt viatoris, ut patet ex dictis. 2. sunt undequaque bonæ, imò & theandricæ procedentes a supposito divino, & subiecto infinitè sancto, & grato, atque impeccabili. 3. sunt ex imperio summæ charitatis ordinatæ ad gloriam Dei; & ex his capitibus, quantumvis ex se naturales, febant supernaturalia. 4. tamèn non deerat eis acceptatio ex parte Dei ad præmium: ergo.

Hinc colliges 1. Christum meruisse per actum dilectionis Dei, qui, ut probavimus, fuit liber Christo. Id etiàm apertè testatur Patres, tribuentes opus Redemptionis nostræ (quod constat esse ex meritis Christi) eximie illius charitati, juxta illud Joann. 14. *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*. Surgite, *eamus hinc*, id est, ad passionem. Ecce quomodò actus obedientiæ fuit imperatus a charitate. Et sanè nullum est meritum saltèm perfectum, quale fuit in Christo, quod non sit a charitate, vel elicitivè, vel saltèm imperativè, ut docet S. Thom. (1. 2. q. 114. art. 4.) quia ejus est per se primò, & formalitèr respicere bonum divinum, ad quod ordinari debent opera, ut sint meritoria.

Colliges 2. Christum meruisse per omnes actus suarum potentiarum, etiam partis sensitivæ, & vegetativæ, imò & corporis, ita ut meruerit non tantum per auditionem, visionem, ambulationem, gemitus, lachrymas, &c. sed etiàm per motum cordis, pulsationem arteriæ, nutritionem, digestionem, sonnum, sitim, &c. Quia, licèt istæ actiones non sint in se formalitèr liberæ, suberant tamèn ejus voluntati ratione dominii, quod habebat in suum corpus, & ejus potentias. Undè, proût ab ipso permittebantur ob fines honestos, accipiebant aliquam honestatem moralem.

Dices 1. Christus non habebat dominium in has potentias, nisi ut instrumentum divinitatis; atqui instrumentum non movet liberè, sed secundum motum causæ principalis: ergo. R. D. Maj. nisi ut instrumentum mortuum, N. ut instrumentum

vivum, C. adeoque & liberum; quia Verbum illud movebat juxta naturam suam, hoc est, per deliberationem rationis.

Dices 2. Ex hac doctrina sequeretur, Christum meruisse spuedo, & alias exercendo actiones merè naturales, & necessarias, quod videtur indecens, & absurdum. R. omnia naturalia, quæ nobis videntur indecèntia, non esse talia in oculis Dei, qui est illorum Auctor. At tamèn, cum illæ actiones non pertinent per se ad vitam vegetativam, & sensitivam, sed per accidens utramque consequantur, posset verisimilitèr dici Christum eas non ordinasse ad meritum. Uadè ab illis abstrahimus.

ARTICULUS II.

Quenam Christus sibi meruerit?

Dico 1. (Hic q. 19. art. 3. o.) Christus meruit sibi gloriam corporis, nominis exaltationem, & alia bona, quæ pertinet ad ejus excellentiam exteriorem, ut est ascensio, veneratio, &c. quæque accepit post suam passionem. Est contra Calvinum, qui, ut amorem Christi erga nos magis extolleret, reprehendit Scholasticos, quòd docerint Christum sibi aliquid meruisse. Artamèn

Prob. Conclusio evidentissimis Scripturæ testimoniis. Ad Philipp. 2. de Christo dicitur: *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem... Propter quod* (attendè causalitatem meriti), *& Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: Ut in nomine Jesu omne genu flectatur, &c.* ad Hebr. 2. *Vidimus Jesum, propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum*. Luc. 24. *Nonne oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam, scilicèt corporis*. Joann. 17. *Opus consummavi, & Nunc clarifica me*. Apoc. 5. *Dignus est agnus, qui occisus est, &c.* Ad stipulantur sancti Patres, Tertul. libr. de Corona Milit. Ang. Traet. 104. in Joann. Bernar. Serm. 3. de Ascens. Prob. (Ibid.) ratione. Perfectus est aliquid habere per meritum, quam sine merito, quòd cætera sunt paria, hoc est, quòd inde majoris dignitatis non sequitur detrimentum; atqui Christus potuit mereri gloriam corporis, & cætera bona extrinsecò, si quidèm eis ab initio caruerit, proindeque merito ad illa tendere potuerit; nec ullum inde videtur sequi majoris dignitatis detrimentum: ergo illa meruit. Patet Conseq. Quia debemus Christo concedere id, quod est perfectius, & nobiliss.

Dices 1. Juxta hanc doctrinam sequitur, quòd Christus sit mortuus pro se, & seipsum obtulerit pro se, quòd damnatur can. 10. Concil. Ephes. Ergo. R. N. Sequelam: quia istis locutionibus significatur, quòd Christus passus sit pro se ex primaria intentione, & pro peccatis propriis; quòd utrumque est falsum, & ultimum damnatum cau. cit. ut patet ex ratione, quæ ibi adfertur; quòd scilicèt Christus oblatione non egerit, quia peccatum non fecit. Quòd autèm Christus non sit passus pro peccatis propriis, & quòd primarius finis ejus Incarnationis fuerit Redemptio nostra, ita ut, ea cessante, non venisset, bene stat potuisse sibi consequentèr, & secundario meruisse, ut patet de Angelis, quibus, ut diximus, meruit gratias accidentales.

Dices 2. Gloria corporis erat Christo debita titulo connaturalitatis: ergo eam non meruit. R. N. Conseq. Potest enim eadem res hoc duplici titulo obtineri, quia inter se non repugnant; idque maxime, si res illa statim ab initio non habebatur, sed suspendatur ejus assensio, ut fit in caso nostro. Sic. v. gr. filius Regis, cui ex titulo hereditatis debetur Regnum, potest, tamèn egregiis factis illud mereri.

Dico 2. (Ibid.) Christus nec gratiam habitalem, nec gloriam essentialiam sibi meruit. Ità communiter cum S. Thom. Prob. 1. pars. Actus meritorii in Christo primo instanti conceptionis elicitè procedebant a gratia habituali; atqui principium meriti non cadit sub merito, ut alibi diximus: ergo. Prob. Maj. illi actus meritorii eliciebantur a Christo connaturalitèr, hoc enim, cum sit quid perfectius, nec sequatur inconveniens, non debemus denegare Christo; atqui, ut connaturalitèr elicerentur, debebant procedere a gratia habituali, ut a principio quo, ut diximus, dum de gratia Christi: ergo.

Prob. 2. pars. Gloria essentialis animæ, seu scientia beata se tenebat etiàm ex parte principii meritorum Christi: ergo illam non meruit. Prob. Ant. Meritum Christi regulabatur, vel scientia beata, vel scientia infusa; atqui, si primum, habemus intentum, etiam, si secundum; quia scientia infusa supponebat beatam, ad quam ut proprietates sequeretur: ergo. Patet Maj. Quia meritum in Christo non poterat regulari fide, quæ in eo non erat.

Dices 1. Juxta D. Thom. infrâ q. 34. art. 3. suprâ cit. Christus in 1. suæ conceptionis instanti sanctificatus fuit per principium actum; atqui illi actui nihil deest, ut sit meritorius gratiæ habitualis: ergo. R. D. Min. Si ab ipsa gratia non procedat, C. si ab ipsa gratia procedat, sicut de facto procedebat, secundum exigentiam connaturalem, N.